Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Leone Modena

Leonis Mutinensis, Rabbini Veneti Opusculum, De Ceremoniis, Et Consuetudinibus Hodie Judaeos inter receptis, observatisq[ue]

Francofurti ad Moenum: Wustius, 1692

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766749029

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766749029/phys_0001
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766749029/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766749029/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766749029/phys_0005
DFG

C Ic - 953.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766749029/phys_0006
DFG

LEONIS MUTINENSIS,
Rabbini Veneti,

Opusculum,
De

CEREMONIIS,
ET CONSVETUDINIBUS
HODIE
Judæos inter receptis, observatisq.

Italico primum idiomate adornatum, ac compositum; Gallicè deinde expositum, declaratumqve

Opera & Studio

RICHARDI SIMONIS,

ADDITO SVPPLEMENTO,
Quo exhibetur, ac recensetur Historia Karraorum, & Samaritanorum nostri ævi.

Tandem verò ad ductum Simonis Latii jure donatum

à

JOH. VALENTINO Großgebauer/
Rostochiensi.

Francofurti ad Mœnum,
Typis & Impensis BALTH CHRISTOPH. WUSTII, Sen. Ann. M.DC.XCII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766749029/phys_0009
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn766749029/phys_0010
DFG

I. N. J.

PRÆFAMEN.

MUltis abhinc annis prima pars opusculi præsentis, per Leonē Mutinensem, Rabbinum Venetum, compositi luci publicæ exposita jam tum fuit, ut nempe satisfieret desiderio quorundam ex Christianis, in consuetudines & ceremonias, hodiè Judæos inter receptas, satis avidè inquirentium. *Ipse Gaffarella* hanc primæ partis editionem Lutetiæ Parisiorum *Anno 1637.* adornavit, eamque ad Autorem perferri curavit, qui, dum innumeris illam scatere mendis animadverteret, defectus correxit, aliamque hâc accuratiorem boni publici gratia divulgare constituit; id quod anno proxime sequente etiam præstitit Venetiis. Posterioris igitur editionis hujus usus præcipue nobis fuit obvius, vel, ut verum fateamur, utramque in adornanda præsenti versione consuluimus; Insigne alias duas inter editiones istas discrimen dari, negari nequit: multis namque in priori editione expunctis, alia nondum observata ultimæ insueruit Autor; cujus proinde vestigiis, cum priorem, quà emendationē, multum post se relinquat, fere inhæsimus in omnibus. Tantum quod ad versionem locorum S. Scripturæ, prior illa (altera enim Vulgati vestigia per omnia premit) in subsidium vocata est impressio; Minime enim quenquam Rabbinorum decretis Concilii Tridentini astrin-

gere in animum induximus. Cæterum Buxtorffius, Senior ille, morum hodiernorum Judaicorum historiam in usum Christianorum cum orbe erudito communicavit, ac libello quodam, *cui nomen Synagoga Judaica*, Germanica lingua ipsi vernacula complexus est, qui A. 1603. impressius tam avidè ab eruditis exceptus est, ut latinitate donatus anno sequente lucem iterum aspiceret; hâc tamen interpretatione minime contentus Buxtorffii Filius, mutatis mutandis paravit aliam, quam etiam Ann. 1641. typis curavit exscribi. At idem opusculum 20. post annis multo dedit auctius ex iis, quæ mutuo à Nostro acceperat. Ipsa sane inspectio docet, omni studiô venari Buxtorffium imitationem ordinis à Leone aliàs obsérvati, ad vitandam eo melius confusionem, antehàc in opere suo deprehensam; Complura enim, eaque diversa uno sub titulo complexus erat argumenta. Longe melius feciſſet, si, quæ fusius antea tradita erant, in compendium redegisset atq; contraxisset, ad exemplum Nostri, utpote qui satis habet, certa omnibusq; probata tractare; neque inde digredi, aut contentionibus à proposito suo alienis, aliisve minutiis sese ingerere amat: Quin & vitare studet cum dogmatibus Allegorias, aliaq; absurda simul tradere. Præsens igitur exiguus libellus, quod justo exhibuit volumine Buxtorffius, idem omne quoque sistit, nil alieni aut à scopo abludens hoc loco præcipitur; tantum id affertur, quod autor ad mentem suam declarandam facere aptè judicavit, servans hac in parte morem Italorũ, quibus de alias in confesso, ingenio valere eos, atq; præstare reliquis Gentibus, utpote quarum robur potissimum in tergo. Licet verò hoc opusculum ob parvitatem suam levidense videri posset, id tamen pro certo

certo volumus B. Lector habeat, plura illud complecti, eaque, quæ plane à Buxtorffio intacta relicta erant. Præterea, quemadmodum Nostro satis est, modò intelligatur, ita sollicitus est oratione pura uti ac emendata, conciloque delectatur dicendi genere; Omnis enim in recensione historica abesse debet tumor sermonis; imo & istud multum facit ad elevandum dictionis ipsius nitorem, quod una, ipsius verbis concepta, duas vel tres in nostrâ sæpe dederit linguâ periodos; sic & alibi fusius, quæ Autoris mens, expressimus. Interea orationem ipsam ita libere fluere nonnunquam animadvertimus, ut, minimum materiæ ratione habita, admodum difficile de mente Autoris Lectori constare arbitremur; hinc plures periodos, ex quo nempe Doctoris nostri idiomate Italico sua de Synagoga communicantis sensum assecuti sumus, ordine ipsis conveniente recensere coacti sumus. Quemadmodum verò præcepta Religionis Christianæ Judaicæ originem suam debent; ita nullus dubito, quin lectio hujus libelli multo faciliorem reddat N. Testamenti sensum, ob conformitatem ejus, nexumque, quem habet cum Veteri. Ulterius ex Gente Judaica orti fuere, qui condidere Scripturam N.T. fieri proinde nequit, ut illa rectè, sine collatione cum Judaismo, explicetur. Accedit, non minimam Ceremoniarum partem ex Judaica in nostram migrasse Ecclesiam; Dogmata fere eadem sunt; unde, quæ de moribus præcipit Decalogus, nobis cum illis communia sunt; quin & Purgatorii, quod negant & pernegant, qui Protestantium nomine gaudere volunt, pari sane ratione sub fine tractatus nostri mentio facta est, atq; deprehendimus doctrinas de Creatione Paradisi, de Inferno, de Resurrectione & die ultimo in eo traditas.

Similiter in hoc quoq; conveniunt, & suaviter conspirant Religio Christiana & Judaica, quod utraque autoritate Scripturæ, sanctionibus majorum, consuetudinibus item & ritibus receptis, vel, ut Nostri ajunt, *Disciplina Ecclesiastica* nitatur. Inde quod nostris Doctoribus sæpe in ore est: *Ita traditum accepimus ab Apostolis*, idem quoq; Rabbinos usurpare videmus, dicendo: *Præsens explicatio data est Moysi in monte Sinai*. Et quamvis negari nequit, nomine Traditionum Chimæricas sæp. sime à Judæis vendi fabulas; hoc tamen non traditionum, sed eorum, qui custodes sanctionum sese esse profitentur, culpa est. Quod ad preces Judæorum, devotæ satis sunt, & omnimodam plane inter se servant similitudinem, licet & diverso tempore, nec eodem in loco sint compositæ. nihil aliud fere sunt quam σύνταξις & textura quædam ex variis Scripturæ locis concinnata, ambitu suo laudes Divini Numinis complectens. Videtur, Esdram partem quandam formularum istarum in precando usitatarum primum omnium instituisse ac docuisse, quem deinceps reliqua Doctorum turba imitata est, consuetis precibus addendo ea, quæ ratio & necessitas Ecclesiæ, ut adjicerentur, jubebat atque efflagitabat. Prima quoque Ecclesiæ ætate hymnos in honorem Dei canere, recitareque Psalmos solebant Majores nostri in unum cœtum coacti: Certi quid prætera ex Lege & Prophetis, prout temporis jubebat ratio, prælegebatur, id quod æquè hodie adhuc apud Recutitos moris est; nunc vero vicem Legis Mosaicæ in Ecclesia hodierna Evangelii prælectio supplet. Ne tamen quis putet Legem plane abrogatam esse semper aliquid ex V. Testamento prælegi solet; præcipue verò hucusque Psalmorum usus in Ecclesia obtinet, id quod luculenter satis

satis docet initium Missæ, quæ exactè refert Psalmorum compendium, integrè forsan primum recitatorum, haud minutatim, uti hodie quidem fieri videmus. Addimus hisce, eundem honorem primos Ecclesiæ Patres Sabbatho atque diei Dominicæ exhibere solitos esse; Sic & antiqui Canones videntur in pari pretio habuisse dies modo memoratos binos. *Celebrate*, (inquit pervetustus constitutionum Liber, qui sub nomine Clementis circumfertur) *Sabbathum & Diem Dominicam ut Dies Festos; unus namque illorum memoriæ Creationis, alter verò memoriæ Resurrectionis consecratus est*; Utique jam à multo tempore dies modo dicti tanti facti, ut Sabbatho æque atque Die Dominica cœtus cogeretur Ecclesiasticus; neque hodie quoque omnis hujus diei, Sabbathi videlicet reverentia exspiravit penitus, & abrogata est; adhuc enim recitari publicè ex Lege & Prophetis Sectiones nonnullas mos fert ac consuetudo. Omnem verò omnino insignis illa Judæorum pietas animique interior collectio, quum ad preces manè celebrandas confluunt, superare admirationem dicenda est: Nullum namque precibus nondum absolutis exercere negotium, neminem item amicorum invisere, aut salutare quempiam, ne, quem Deo debent cultum, negligere ulla ratione videri queant, permissum aut concessum iis est. Antiquissima consuetudo ista admodum egregie sane illustrat illud Servatoris optimi ad Discipulos, jamjam abeuntes ad Evangelium ubicunque terrarum prædicandum, pronunciatum, dum ita: † *Nolite quenquam in via salutare.* Ordinem porro precum Judaicarum, earumque titulos

† *Luc.* 10, 4.

tulos, si quis probe discutiet, parum à nostro illum differre experietur. Sic mane, item post cibum assumtum, nec non vespertino tempore orationibus incumbere solent. Nomina quidem duplæ, & simplicis Missæ ignorant, discrimen tamen interea Sacri officii admittunt. Ita agnoscunt pariter ac nos distinctionem communis & privati officii, Sanctorum itidem mentionem faciunt, quemadmodum videre licet, ubi de diebus Festis agere consuevere. Ad ultimum, ut nos, qui sumus Ecclesiæ Gallicanæ addicti, aliique, alterius Ecclesiæ membra, ceremonias Romanæ observamus; Ita Judæi æque diligenter attendunt ritus varios Synagogarum in Hispania, Germania, Italia, &c. Ex descriptione (תפלין) Oratoriorum, Judæos inter usitatorum, ab Autore tradita discimus, quæ ratio Phylacteriorum in Evangelio passim decantatorum, & valdè ineptè à plerisque interpretibus explicatorum. Certè latere me fateri omnino debeo, quid intenderit P. Amelottus, Socius Ordinis Orator. dum in observationibus suis in N. T. Gallico idiomate expressis asseverare non dubitat, solere Patremfamilias ex Judæis satis magnificè sese exornare oratorio & pallio (טליתן) ex quo comedendus apponitur agnus Paschalis. Enimvero deceptus est Vir optimus à Genebrardo, qui, ut stabiliret sententiam hanc, allegavit quidem tractatum, qui inscribitur אדרת חיים; sed incongruè; nullum enim ac ne minimum quidem, qui paulo curatius ipsum rimabitur textum, offendet signum, aut vestigium Sacri istius ornatus, cujus aliàs in celebratione agni Paschalis usus fuisse dicitur; tantum vestimenti cujusdam ex quatuor fragmentis compilati, & à Judæis quondam

dam usurpáti loco citato fit mentio, à quo tamen hodie, ne se Christianorum ludibrio exponant, summo abstinent studio; tantum sub tunica fragmentum panni quadratum cum quatuor panniculis, aut resticulis filiatim in extremo retextis hodiè gerere solent. Hac ratione igitur decepti plures usum ornatus sacri in celebratione hodierna mysteriorum adhibiti, sed pessimè probare ausi sunt. Imò quidam superstitione dicam, an vesania abrepti ostendere adhuc hodiè non erubescunt, nonnullorum ex Apostolis casulas, sapientissimis interim quibusvis, doctissimisque Scriptoribus in contrariam euntibus sententiam. Haud minimum profecto perculsus sum, ex quo Bonam Purpuratum tanto, ac tam vehementi iracundiæ motu abreptum adversus Nicolaum Alemannum esse sensi atque animadverti; Sustinebat hic; Apostolorum ævum ignorare ejusmodi ornatum, quæque in contrarium afferri solent, anilium fabularum instar, joco, risuque dignarum reputabat. Bona contra testes sententiæ suæ allegabat Baronium, Monchium, Stapletonem, Sussæum, & alios, pro certo habentes, Salvatorem nostrum sacro indutum habitu, mediantibus ritibus usitatis, S. celebrasse Synaxin; Hisce nescio, annon contradicat Cardinalis, cùm Apostolos quidem vestitu religioso ornatos mysteria peregisse concedit, sed in habitu vulgari Dominum JESUM CHRISTUM Corporis sui Sacramentum instituisse, nimis confidenter docet. Interea utraque pars autoritate & fundamento destituitur; nec W. Strabonem sine causa dixisse arbitramur, Missæ ritum in veteri Ecclesia habitu vulgari adminis-

ſtratum eſſe. Non ideo, uti quidem Joſephus Vice-Comes opinatur, ac ſi primo tempore ſumtus Eccleſia, inopia preſſa, in iſtiusmodi ornatum tàm ſplendidum impendere & erogare haud valuerit; ſed quod primi Chriſtiani, quorum potiſſimam partem conſtituebant Judæi converſi, celebrare ſacra in cœtibus ſuis conſueverant illo ipſo cum habitu, quo uſi olim fuerant in Synagogis. Ambigo ſane, unde trabeas, quibus ſacrificulos noſtros exornatos eſſe videmus, ortum ſuum traxiſſe dicam; Num à palliis, quæ geſtare Judæis injunctum erat? An à togis, apud Romanos uſitatis? An verò à genere veſtimenti, ex utroque conflato? A verò enim alienum eſſe non videtur, Judæos æque ac Romanos Religionem abjurando avitam, doctrinamque Servatoris dilectiſſimi amplectendo, in veſtibus mutaſſe nihil. Dictis modò addi meretur illud quoque, cum trabeis olim celebratam eſſe Miſſam, à qua conſuetudine neque nunc remittere Orientales, ſacra ſolenniter operantes, pro comperto eſt; dum caſulis noſtris trabeas ſuas præferunt, quarum imas, cum nimis ſibi moleſtas putarent, partes noſtri reſecarunt, latera etiam aperta relicta ſunt, quod genus veſtimenti accommodatum magis atque conveniens, neque magnorum adeò ſumtuum eſt. Pari ratione linea Sacerdotalis interula exactè tunicæ Romanorum formam ſiſtit ac refert, quæ dilatari atque contrahi potuit, ad conficiendum inde amiculum noſtrum linteum. Ex hiſce jam conſtare puto, nullam primis temporibus viguiſſe differentiam veſtimenta ſacra inter & alia uſu introducta, neque niſi cum tempore diverſitatem ac mutationem cœpiſſe, in quam

uti

uti facilè consensere Seculares, ita Clerus tenacius vestium suarum formam hucusque servavit. Ex quo autem Ecclesia opibus sensim ditata, & aucta sumtuosissimis cœpit gloriari templis, luxuria atque superbia etiam in Sacerdotum habitum lentè irrepsit. Ingens ille precum & gratiarum actionum numerus, quas Judæi ab initio, & sub fine omnium negotiorum suorum fundere suevere, lucis multum pluribus D. Pauli dictis affert; Ubi nempe de gratiarum actione in honorem Dei perpetuò commemoranda pluribus edisserit: huc spectat illud 1 Corinth. 10. v. 30. 31. *Si* (de cibo) *cum gratiarum actione Dei beneficio participo, quare igitur malè audio in eo, pro quo gratias offero? Sic igitur, sive comedatis, sive bibatis, sive quodcunque tandem agatis, faciatis omnia in honorem Dei.* Supersedeo hoc locò quidquam addere de benedictionibus, & singularibus gratiarum actionibus, negotium Eucharistiæ concernentibus, quibus de capite jamjam allegatò 10. prolixius agitur; quamvis illæ ipsæ non incommodè quoque illustrari possent per preces & gratiarum actiones, in celebratione agni Paschalis, antiquitus usitatas. Hujus generis verò, & alia plura adhuc dantur, quæ nisi adhibeantur Judaicæ consuetudines, non adeò clarè illucescent. Imprimis notatu digna oratio in classe precum Judaicarum observata, quam pro salute & incolumitate Principis, cujus sub Dominio degunt; publicò coram cœtu recitare solent: Pluribus constat capitibus, quorum unumquodque voto populi acclamantis; Amen, Amen, obsignatur; & ut, quod voverint, ex animo testentur profectum esse, mos omnium est, amplexibus excipere Librum

Legis; quicquid interim prosperitatis in gratiam Principis à Deo precibus suis contendunt, non nisi in sui, suorumque commodum, & utilitatem facere videntur; huc namque redit summa precum: *Dignetur videlicet Rex Regum, propriâ suâ commotus misericordiâ, conservare Principem nostrum, ut porrò benignitate & clementiâ amplectatur totam Gentem nostram, quin &, ut sub ejus imperio, Iuda servetur incolumis, Israel tranquillo fruatur statu, & tandem aliquando Redemtor Zionis exoptatissimus adveniat.* Nescio, annon hinc colligere liceret, D. Paulum, perbenè à puero in Scholis instructum, occasionem inde arripuisse, primos assuescere Christianos, eosque docere modum invocandi Deum Patrem, pro Regum, Principumque fortuna, & salute. Neque verò insignis iste precum Judaicarum numerus, multis de causis temere rejici debet; Siquidem Ecclesia, tam Orientalis, quàm Occidentalis, non pauciores agnoscit preces in Eulogiis & Ritualibus suis; adde benedictiones omnes, quotquot in gloriam Nominis Divini sine superstitione absolvuntur, nomen bonitatis omninò meteri. Verùm notanter dictum, sine Superstitione: Accusantur alias Judæi, quod Dei, Angelorumque nomine in quibusdam precum suarum abutantur, sperantes hôc ipsô, eos sibi reddere magis familiares; Patriarcharum imitari conantur exempla, quibus Angeli instar Magistrorum, ac Ducum itinerum erant. Ast Noster tantum abest ab hoc dogmate, ut etiam æque ac Scriptura cum Talmude Magiam condemnet; Contrarium quoque testatur quintus Confessionis Judaicæ articulus, ubi expressè Angelorum prohibetur cultus; dum *nec adorandos eos, nec pro Mediatoribus*

ribus esse habendos perhibetur. Aliàs insignem Angelis honorem à Judæis exhiberi, neq; Leo noster negare audet; Si quidem fatetur, ipsos, cum alvo quandoq; urgente secedere necesse habent in loca obvia periculis, Angelorum tutelam vocare in auxilium; quæ invocationis species ad hunc usque diem apparet, eamque legere licet in ritualibus Judaicis passim obviis מארח חיים n. 3. ita verò sese habet; *Salvete omni honore & sanctitate dignissimi Summi Numinis Ministri, mei inquam rationem habete, mihiq; quæso auxiliamini*; Sic dantur Judæos inter devotiones adhuc ita concinentes, ex Ps. 91. *Angelis suis præcipiet de te, ut conservent te in omnibus viis tuis.* Quod ad Angelum Custodem, de ipso jam tum tempore Salvatoris nostri eadem in Ecclesia Judaica innotuére, quæ hodie etiam à nobis approbantur, & creduntur. Negari interim nequit, Judæorum quosdam, ad procurandum res naturæ vim excedentes, invocare, at pessimo exemplo, Dei, Angelorumque ipsius auxilium, artem suam malam sub specioso Cabbalæ nomine laudantes, quo titulo quidem videri volunt, ac si ex asse Majorum suorum traditiones observent; re ipsa verò multis simplicioribus ex Gente sua, quin & ex Christianis pluribus hoc nomine imponunt, qui nempe ad hæc Cabbalistarum deliria, quorum fons & scaturigo ipsa Magia est, attendere, eaque magni facere solent: quemadmodum mirari non satis possumus, Reuchlinum, Virum superiori ævo in omni scientiarum genere egregium & excellentissimum, tantum otii sibi sumere potuisse, ut de hoc negotio componeret commentarium, ederetque prolixum satis. Sic extravagantiæ Comitis Gabalis, quæ non ita pridem lucem adspexêre, summo quoque cum applausu ab optimæ æta

tis & indolis ingeniis exceptæ & approbatæ sunt, ita omninò verum illud probatumque ; Homines naturâ ad superstitionem ferri. Ad Cabbalæ quidem prima initia quod attinet, ipsam, mea quidem sententia, primam sui originem debere Philosophis, è Pythagoræ & Platonis Schola prodeuntibus, omninò credendum ; horum enim dogmata nonnulli ex Judæis cum ipso Judaismo miserum in modum commiscuerunt, & perturbarunt, disseminando hoc ipso infinita, ab otio & superstitione primùm enixa, posteaque in lucem edita deliria ; quo spectant varia Adami, Enochi, Salomonis, aliorumqve scripta, qvibus neqve noster, neqve alius qvispiam ex Judæis pariter ac Christianis, si unqvam sanæ mentis est, autoritatem, fidemqve tribuunt. Sic itaque vidimus Judæorum in precibus fundendis, ordinandisqve œconomiam & præstantiam. Non minor utiqve illorum virtus est, in Charitatis officiis proximo exhibendis. Sua profectò erga pauperes benignitate, velut in speculo, sistunt primorum Christianorum erga miseros Charitatem, qvi hoc ipsum à Judæis didicerunt, à qvorum posteris hucusqve egregia retinetur consvetudo, contra qvam nos hodie agimus, utpote, qvi vix umbram, memoriamqve antiquæ charitatis ac liberalitatis servamus. De Disciplina Ecclesiastica, apud Judæos regulis suis quàm optimè accuratissimèqve adstrictâ, uti idipsum videre licet ex cap. de Excommunicat. & Pœnit. vel nihil hoc loco addam, id tantum ὡς ἐν παροδῷ observo, Judæos credere, minimè per internam Deo satisfieri posse contritionem, nisi & externa accedat ; In

hunc

hunc finem adhibent libros suos pœnitentiales, quorum alias etiam in Ecclesia usus est, fortasse ad illorum exemplum. Gravissimis suorum delictis æque graves utique & severas constituêre pœnas: clam interim à delinquentibus exigitur mulcta, cum Magistratus, in cujus ditione vivunt, si id constaret, omnino iis potestate ejuscemodi forensi interdiceret. Liquet porrò, neque obscurum est, multum Judæos externæ rerum faciei tribuere, siquidem externa ab iis plurimum inservire internis creduntur; ita abstersio manuum conscientiarum emendationem ipsis in memoriam revocat; sic abstinentia ab impuris animalibus docet studium vitandi scelera. De cætero nec placet mihi, nec approbare queo nimis accuratam illam superstitionum quarundam observationem, quod cum per integram septimanam horis antelucanis è lecto prosilientes hymnos varios in laudem Numinis supremi recensere soliti sint; Sabbatho contra lecto diutius solito teneantur affixi; ita scilicet præceptum de quiete Sabbatho præstanda servasse videri volunt, id quod nimis affectatum. Simile sane hoc hominum genus Medicis subtilibus plus æquo nonnunquam, & accuratis, qui non erubescunt, eò sæpissimè hominem miserè decumbentem adigere, ut nisi medici accedat consensus & beneplacitū, non credat, licere sibi de columba vel pullo gallinaceo comedere, quasi verò vel vulneris levissimi, aut alius infirmitatis minimæ, vix ulla sollicitudine dignæ, suspicio exigua & nullius pene momenti cibum interdicere sufficeret. Porro lectori perspicuè hîc demonstratur, quo pacto omnes & singuli peccata sua confitentur, quomodo absolvuntur, & qua ratione, postquam cum hoste in gratiam re-

dierint, veniam peccatorum efflagitent, ad eum fere modum, qui extat in Evangelio præscriptus. Nec illud prætereundum, Judæos, si anno jamjam præterlapso quadam in re sese deliquisse, conscientia probe excussi, animadvertant, certum diem ad resipiscendum consecrare solere. Mitto præterea subjicere studium, quod in vita examinanda adhibent, qui præsenti cum morbo conflictantur. Neque etiam quidquam addo, qua sollicitudine metu mortis occupatis nomina sua immutare in more positum sit: observo enim, non minus hic, quam in aliis etiam impiam dominare cœpisse fraudem. Cum vero sese in agone constitutos esse vident, nomina רפאל חיים aut similia ipsi sibi imponunt; quod si hac vice è morbi periculo evadant, pristinamque recuperent sanitatē, assumtum novum nomen, cui se debere valetudinem suam profitentur, per totam vitam sibi vendicant. Quod sacros Judæorum Oratores ac Interpretes concernit, ii non tam eloquentiæ, quam singularis eruditionis in scriptura interpretanda, ac cognoscendis Magistrorum conclusionibus, laudem affectant. Imprimis operam studiumque impendunt cognitioni tractatuum quorundam, qui apud illos nomen שאלות ותשובות (ie. *quæstionum & responsionum*) adepti sunt, & quam proxime accedunt ad Moralistas, s. Theologos morales nostros. Cumque unicuique, ipsos inter, concionem ad populum habere permissum, facile inde intelligitur, cur Salvator, ipsiusque Apostoli Synagogam ingrediendo sermonibus ad populum usi sint. Sic & clarius patescit hinc historiæ illius veritas, quam D. Lucas haud dubitavit consignare, Salvatorem nempe aliquando in templo, in media Doctorum turba sedentem, repertum esse, auri-

auribus ſuis attente, quæ tradebantur, excipiendo, deque iis poſtea modeſtè diſceptando, interrogandoque. Minime namque hoc fine aderat, ut Præſidem Interpretum Legis ageret; ſic enim ſubſellia infima, diſcipulorum puta, haud occupaſſet. Quæ conſuetudo adhuc quoque apud Judæos obtinet, inde & Scholæ nomen mutuare, ſuisque Synagogis largiri ſolent. Longe plura adhuc dictis adjici poſſent, ſed revocat nos illud; Præfationem ſcilicet, non integrũ volumen meditari nos. Liberam de cætero judicandi facultatem cuilibet permittimus de iis, quæ Noſtro in negotio matrimonii, divortii item, ac diverſorum conſanguinitatis graduum proferre placuit; inde enim non parum lucis variis Scripturæ N. T. locis affunditur: Meum erit monere tantum, Verpos omnes fidei ſuæ ſocios ad matrimonii legem adſtringere: niſi quod credat R. Moyſes cum aliis multis, terminum matrimonii contrahendi aliàs præſcriptum poſſe in gratiam hominis in legis ſtudio aſſidui protrahi, eò quod toto illo tempore, quo legi operam dat, temperantiæ ſtudere & à carnis voluptatibus abſtinere credatur; alias, uti habet axioma D. Pauli, *Vxorem ducere melius eſt, quam uri.* In Oriente apud Chriſtianos mos iſte invaluit, quin jubet quoque populus, Zelotypia correptus, ut Sacerdotes aut ineant conjugium, aut in Monachorum ordinem ſeſe cooptari patiantur; usque adeo, * ut & Maronitarum Antiſtites, licet Papæ Romani autoritatem agnoſcant & venerentur, nihilominus tamen teneantur, Sacramento huic nomina ſua dare: intelligenda nempe hæc ſunt de candidatis Sacerdotii; Hinc quoque eſt, quod ægre ſane, neque ſine diffi-

* *P. Dandinus in hiſtoria ſua de Maronitis.*

difficultate adducantur Maronitarum Episcopi, quemquam recipere in ordinem sacrum, qui nondum Matrimonii vinculis constrictus est; minimum, ut paulo ante dictum, in cellulas hujusmodi hominibus abeundum est. Ultima præsentis opusculi, uti constat, occupant quædam de Caraitis & Samaritanis nostri temporis: duabus enim de sectis istis, Europæo nostro orbi non adeò notis loqui me, in præsenti necessitas præcipit, ne in quodam hæsisse aut defeciſſe autor dici queat. Judæi Rabbiniſtæ illi, qui dogmata & traditiones Talmudicas in oculis habent, multa utrique parti, sive ignorantia, sive malitia moti, tribuere solent: Hinc veritatem pro iis dicere, & ab illis ipsis fundamentum illius petere, necesse habui. Quem in medium protraxi Caraitam, unus est ex doctissimis ac celeberrimis sectæ suæ propugnatoribus. Opus ejus & quidem manuscriptum extat in Bibliotheca PP. Ordin. Orator. Lutetiæ, allatumque est Constantinopoli per virum illustrem de Sancy, Oratorem Regis Galliæ apud Turcarum Monarcham, una cum insigni aliorum librorum Rabbinicorum thesauro. Ad Samaritanorum historiam verò quod attinet, plurimum, fateor, adjutum me fuisse à duabus Epistolis istis, quas Synagogæ Sichemitarum & Ægyptiorum in negotio de ceremoniis & ritibus suis ad J. Scaligerum exararunt. Primum illud, & authenticum, unde reliqua desumta sunt, exemplar recuperare non potui, nisi versionem tantùm, quam in gratiam Viri summi, Domini Peirescii adornavit P. Marinus, Ord. Orator. ascriptus socius. Hæc propria Viri manu exarata sese oculis meis obtulit eo ipso momento, cum Pentateuchum Samaritanum, in eadem Bibliotheca extantem, perlustrarem.

rem. Id quoque, sed casu, & quasi præteriens observet B. L. Leonem Mutinensem rem novam planè, gentiquæ suæ inusitatam egisse, cum voces Ebræas nostris expressit characteribus. Orthographiam quidem nostræ linguæ conformem primum observare cogitabam, mox tamen mutavi sententiam, ipsiusque imitatus sum; facillima enim arbitror conjectura quempis assecutum esse, quo pacto à Judæis Italis Ebræa pronuncientur: Verum in alloquio ad Lectorem, nec non in supplemento paulisper ad indolem linguæ Gallicæ Ebræa inflectere & eloqui conatus sum, utut pro comperto habeam, qui hoc attendant, fore paucissimos. Jucundum aliàs videre hominem Gallum Ebræa componentem; certè nativum exactè refert Germanum, adjutum Germanorum adminiculis, Lexico videlicet Buxtorffiano, & Grammaticis à Germanis editis. Illam ipsam autem exarandi voces Ebræas varietatem pronunciandi parit dissimilitudo. Interim, fac, dari quandam in modo eloquendi convenientiã, adhuc tamen orthographiæ gratiam haud minima remanebit difficultas: aliam quippe à Gallis, aliam à Germanis, ab Hispanis quoque, atque Italis aliam in exprimendis iisdem literis observari methodum animadvertes; unde, ut plures sæpe adhibeantur characteres ad unicam liberam Ebræam accuratè pingendam opus esse videmus. Qua ratione multum à D. Hieronymo abire Græcam LXX. interpretum versionem extra dubium: & forma illa antiqua pingendi voces Ebræas alterius linguæ charactere quantum quæso abludit à nuperâ illa, & heri aut nudius tertius inventâ. Horum verò omnium curam agant, seduloque ad ista attendant necesse est, quotquot Critici munus sibi

sibi arrogant, veterumque libros ac codices prælo subjicere amant, in quibus habentur verba Ebræa charactere latino, aut græco expressa. Cujusmodi sunt S. Hieronymi, Epiphanii, aliorumque Patrum opera. Sed redeundo ad Authorem nostrum, in hoc ab illo dissentio, quod populares suos, Italos nempe, omnium optime Ebræa enunciare putet; Hispani Judæi sanè, quorum maxima pars hodie Barbariam incolit, Italis hac in parte ne tantillum quidem cedunt; imò credo & pro certo habeo, non tantum in pronunciatione, sed quoque exaratione vocum, hosce tam Italis, quam aliis omnem præripere palmam; nam & melioribus quam Itali, Germani, ac Orientales gaudent codicibus Msc. & diligentius incumbunt in studium Grammaticæ, ipsiusque linguæ Sanctæ. Idem verò, ex quo ejecti sunt ex Hispania, in Turcarum ditiones commigrarunt, sedemque elegere Constantinopoli, Salonicæ, & in reliquis vicinis civitatibus, ubi ad hunc usque diem ne minimum ab inveterata in ceremoniis observandis recedunt gravitate sua. Verum quidem, Hispani, cum loquitur, non adeo purum esse sermonem; sed quicquid demum sit de corrupta ista pronunciatione, supplet & corrigit istam accurata Bibliorum versio, Hispanico idiomate loquens. Augent porro Hispanorum præstantiam, ipsisque majorem conciliant splendorem Synagogæ, quæ reliquis concinnitate, ornatu, & luxu præstant; sic nimium industrii præterea & curiosi sunt in describendis nitidè & sine mendis Pentateucho, aliisque libris, quorum in Synagogis quotidianus est usus. Moneo hoc illorum gratia, sibique dictum putent ii ipsi, qui in colligendis, conquirendisque codicibus manuscriptis Ebraicis,

cis, multum operæ & sumtuum impendunt. Cæterum Hispanos cum præfero, ac reliquis dico antecellere Judæis, velim intelligas hoc tantum de iis, qui sunt notiores, omnibusque patent; minime autem de illis, qui mediam incolunt Asiam, utpote de quibus præter solum nomen nil nobis præterea innotescit, atque adeò penitus fere ignorantur. Posset quis interea, & quidem meritò mirari, neminem ex amplissimo Jesuitarum ac reliquorum Monachorum ordine, qui quotidiè fere hasce adeunt terras, eoque iter instituunt, extitisse adhuc, atque in hoc industriam suam collocasse, ut nos de Judæis ibi commorantibus quicquam edoceret, proderetque, aut in oras nostras illorum transportaret Biblia; aut distinctionem traditionum & morum horum hominum à traditionibus & consuetudine aliorum Judæorum nobiscum communicaret. De nostræ Provinciæ Judæis, priusquam dictis huc usque finem imponam, asseverare queo, eos, antequam solum vertere jubererentur, reliquis suæ gentis divitiis omnino præstitisse: hinc natum apud nostrates proverbium; *Copiis, opibusque abundat, velut Iudæus.* Certum exploratumque, ante ejectionem magnifica ipsos inhabitasse palatia, ac fertilissimos circa urbem possedisse agros. Ingentes, quas impunè, & sub prætextu, quasi publica inde multùm juvaretur res, exercebant, usuræ potentes reddidere homines, eædemque tamen ruinæ ac perditionis illorum quoque causa vera extitere; ita verò divitiis corradendis intenti erant, negotiisque ac mercimoniis operam dabant, ut tamen non negligerent legis studium, & rigidam ceremoniarum suarum observationem. Et quemadmodum illo tempore Judæi Hispani plurimum in Scriptura inter-

interpretanda valebant; ita noſtri in Talmudis ſcientia antecellebant; Hinc Lutetia conſtituebat judæorum Athenas, quo ex omnibus pene terræ angulis ad diſcendum literas hujus ſortis homines confluebant; nec dubito aſſerere, Salomonem Iſaacum, inſignem illum Talmudis interpretem & Doctorem, tum temporis Profeſſorem Publicum egiſſe in Regia Pariſienſi civitate. Patria ipſi contigerat Auguſtobona Campaniæ, nominis autem celebritatem egregii ipſius in S Biblia commentarii peperere, qui & adhuc hodiè magni æſtimantur pretii à Judæis, omnibusque reliquis hujus commatis ſcriptoribus præferuntur. Novi multos in hac fuiſſe ſententia, quaſi patriam agnoſcat Lucellum Occitaniæ, ideò quod vox ירח Lunam denotans in Ebræo occurrat, unde communiter denominatio ipſius petitur; ſed mea quidem ſententia falluntur boni iſti viri: Verum enim Judæi nomen non eſt, ut vulgò quidem putatur, *Iarchi*; ſed *Iſaac*, aut *Iſaaci Filius*; ita nempe à Judæis appellatur. Concedendum quidem R. Benjaminum in Itinerario ſuo injicere mentionem cujusdam *R. Salomonis de Lunel*, quem Conſtant. L' Empereur à Benjamino deceptus putavit eſſe illum ipſum Salomonem noſtrum ſatis undique celebratum; aſt non advertit vir doctiſſimus, jam dudum Iſaacum ante hæc tempora oppetiiſſe mortem. Cum paulo ante Judæos in Gallia natos reliquos ſuperaſſe dixi qua cognitionem Talmudicam, id adhuc addendum, Campanis imprimis id laudis deberi, utpote qui iſtud ſtudium ſibi velut proprium vindicarint; quemadmodum ſatis perſpicue & clare docet liber תוספות (*additionum aut explicationum Talmudicarum*,) cujus vel maximam partem compoſue-

posuere Campani; conferantur modo tractatus יוחסין & צמח דוד atque vera esse, quæ modo dixi, comperies. Præcipuè vivebant Rhemis, aut Trecis, quibus in locis publicè doctrinam Talmudis profitebantur. Neque hoc prætereundum, quod licet Biblia Hispanorum facile principatum obtineant, his ipsis tamen minimè cedant, quæ per Judæos Occitanos, illos item conscripta sunt, qui prope in finibus Hispaniæ hærent. Imprimis hic nominari debet Civitas Narbonensis, ubi plerique Judæorum, nullum laborem aut industriam prætermisere, in describendis nitidè accurateque Bibliorum S. codicibus, quomodo intelligenda sunt illa R. Benjaminis, quæ statim ab initio itinerarii occurrunt, quum ita; *Narbonensis civitas sese Doctorem ac Præceptorem legis præbet; ex hoc loco illustri egressa est Lex ac diffusa per totum terrarum orbem. Doctores genuit celeberrimos quosque ac præstantissimos ex prosapia Regia suam deducentes originem. Summus illos inter fuit R. Kalonimus, filius Principis maximi R. Theodori, felicis memoriæ, qui familiam ducebat à Rege Davide, ac beneficio dominorum provinciæ hujus insignes possidebat terras.* Illustrissimus Sancæus, tempore, quo in aula Imperatoris Turcarum Legati munere defunctus est, studiosè satis inquisivit in accuratissimos Bibliorum manuscriptos codices, quoscunque demum in Oriente ipsi invenire licuit. Optimum, quod secum attulit, exemplar illud ipsum est, quod manu Principis Theodori, quo de jamjam recensionem Benjaminiaudivimus, exaratum est. Insignis aliàs numerus librorum inde allatorum ad hodiernum usque diem asservatur in Bibliotheca P. P. Oratorum Parisiensium: Theodori verò codex descriptus

est

est Anno 967. qui respondet anno juxta nostrum computum 1207. quemadmodum id ultima hujus codicis manifeste docent. Egregios quoque codices ex Perpinianô allatos inspexi & consului, qui præstantia certabant, nec quicquam cedere videbantur exemplaribus Narbonensibus. Famosissimum illum Bibliorum codicem, ab Hillelo Hillelianum denominatum, ad quem velut ad lapidem Lydium suos examinare solent Judæi, dedit Regnum Legionense Hispaniæ: neutiquam vero, quemadmodum nonnulli tradidere, Lugdunum Galliæ; quô de tamen insuper & hoc notandum, minimè tantam ei inesse authoritatem, antiquitatemque, quantam ipsi Judæi communiter tribuere solent; sicut id, si opus, ex variis illius lectionibus facillimè probari, & ad oculum demonstrari posset. Neque verò etiam adduci potero, ut credam, inveniri hodie manuscriptos codices, sese ultra 600. annos porrigentes, & diffidimus omnino iis, qui multò antiquiores adhuc citare audent. Fac enim dari istiusmodi manuscripta, Masoretarum ope correcta ea esse ajo, cujusmodi plura ipse oculis meis usurpavi; ex quo namque Masoræ studium inter Judæos alicujus momenti esse cœperat, manuscriptorum antiquorum imminuta autoritas, minorisque fidei fuere, neque satis emendata esse creditum est. Plura adhuc, quæ nempe faciunt ad discernenda genuina manuscripta à spuriis, subjicienda essent; Enim vero longius forsan atque par esset abirem, imo á scopo aberrarem. Sane metuendum mihi, ne jamjam limites præfationis libelli tam exigui transierim. Itaque porro nil addam, nisi hoc tantum, præsentem tertiam editionem reliquis prioribus multò accuratiorem & perfectiorem esse, cui tamen is, cui revisendi copia facta, pro lubitu, sine Authoris consensu, utpote cujus oculos effugerat, neque nisi multo post tempore effluxo, demum relegendum redditum opusculum, multa addidit, alia vero detraxit, atque neglexit.

Cere-

Ceremoniarum & Consuetudinum Judæos inter hodie receptarum

Pars Prima.

CAPUT I.

De Origine Ceremoniarum & Consuetudinum Judaicarum, earumque divisione & differentiis.

OMnia ista, quæ hodie inter Judæos usitata sunt, ejusdem non sunt momenti, nec ab omnibus pari modo observantur; commode quoque illa ipsa tribus assignantur classibus; quarum Prima ambitu suo complectitur præcepta legis scriptæ, id est, illa, quibus de præcipit Pentateuchus; Eadem dispescuntur commodè in 248. affirmativa, & 365. negativa præcepta, quæ ulterius in se invicem ducta & in unam summa collecta efficiunt 613. Vocantur alias מצוות דאורייתא (*præcepta legalia.*) Alterâ comprehenditur lex ore tradita; nomen conveniens cum commentariis à Rabbinis & Doctoribus olim super Pentateuchum exstructis, tum quoque

que infinitæ multitudini regularum & constitutionum, quas appellare solent מצות רבנן (*Doctorum placita*) quæ collecta extant in grandi quodam volumine, Talmude nempe, quò de sigillatim agetur inferius, Cap. 2. Part. 2. Ultima complexu suo tenet res, quibus usus diverso tempore, variisque in locis autoritatem conciliavit, aut quæ nuper modò invaluere; hinc מנהגים (*consuetudines*) nuncupantur. Ex hisce jam duo priores ordines continentes legem per Mosen literis consignatam & oralem illam à Doctoribus traditam, æqualem apud omnes Judæos obtinent autoritatem, quamvis dispersi etiam per totum terrarum orbem sint; adeò ut hac quidem ex parte, nulla insignis detur differentia; uti id ipsum modo allegatum Talmud planum facere potest. Sed quod ad Tertiam, ultimamque classem, quæ simpliciter circa mores versatur, negari sane nequit, ingens occurrere discrimen: unde & Judæi hic inde dispersi ab ista ceremoniarum differentia nomen, rationemque agendi, vivendique diversam sortiti sunt; præcipue autem elucet illa ceremoniarum dissimilitudo Orientales inter, Germanos & Italos. Orientalibus meritò accenseo hoc loco quoque Judæos Peloponnesiacos, Græciæ item, Barbariæque; nec non illos, qui Hispanorum nomine * veniunt in istis Regionibus. Ad Judæos Germanos autem referuntur, quotquot Bohemiam, Moraviam, Poloniam, Moscoviam, aliasque incolunt regiones. Hoc proinde ordine, distinctioneque servatis, conabor, quoad

* *Judæorum Hispanorum, ex quo è ditione Regis Hispaniarum migrare jussi sunt, maxima pars in Orientem, ubi adhuc dum versantur, concessit.*

quoad à me fieri poterit, hoc opusculo demonstrare ista, quæ petita sunt ex lege tam scripta, quàm orali, tum, quæ consvetudinibus solum ortum debent. Cæterum in antecessum moneo, quod ubicunque disparitas Judæos inter detur, illa non nisi negotium consvetudinum attingat, qvibus tamen vim mandati inesse, aut nomen præceptorum convenire, neque ipsi sibi persvaderi patiuntur; iis interea, quæ constituunt primi & secundi ordinis jussa, vim obligandi omninò inesse concedunt, ac pro certo habent.

CAPUT II.

De Ædificiis.

I.

Cum Judæorum quidam novam exstruit domum, partem qvandam ipsius, ex Rabbinorum qvidem sententia, imperfectam relinquere tenetur, idqve in memoriam templi destructi, ac Civitatis Hierosolymitanæ, ad hodiernum usqve diem desolatæ, probè memor, dictitante ità conscientia, verborum Psalm. 137. *Si obliviscar vestri, O Ieruschalaima, obliviscatur sui dextra mea*; aut partem quandam, minimùm ad cubiti magnitudinem in quadrum, in pariete relinquit, calce non oblitam aut dealbatam, quæ verba Psalmi modò citati majusculis inscripta literis refert; vel ista tantum: זכר לחרבן *memoriale devastationis.*

II. Ostio habitaculorum, conclavium, aliorumqve locorum, qvæ frequentantur, & quidem trabi ejus murali ad latus dextrum, ubi patet ingressus, affigere solent cannam, aut aliam qvandam fistulam, cui inclusa est membrana accuratè præparata, in qva summa cum industria conscripta exstant ista Deut.

6. v. 4. *Audi Israel, Iehovah, Deus noster Iehovah, unus est*, una cum commatibus seqventibus, usque ad v. 9. verba, ubi ita Vates; *Inscribes ea postibus domus tuæ, & portis tuis*; deinde spatium aliquod exiguum relinquitur vacuum, cui inserunt ista Deut. 11. 13. *erit itaque, si seriò auscultaveritis præceptis meis* &c. ad usqve ea, c. 20. *etiam inscribes ea postibus domus tuæ, & portis tuis*: membrana verò memorata involuta, abditaque latet in canna, cujus ora extrema adscriptum habent nomen שדי * Quotiescunqve Judæi ingrediuntur domum, aut foras exeunt, summa devotione prius hunc locum digito contrectant, posteaqve osculantur; appellant hunc actum seu ritum מזוזה.

* *unum est ex propriis nominibus Deo competentibus.*

III. Nullam in habitaculis suis figuram, imaginem, statuamqve aut ipsi erigunt, aut erigi ab aliis patiuntur. Multò minus verò adhuc in Synagogis, aliisque devotioni destinatis locis illud fieri permittunt, secundum illud Exod. 10. *Ne facito tibi sculptile, aut ullam imaginem.* At dantur in Italia, qui licitum sibi esse putant, simulacris ac tabulis depictis domos suas exornare. Interea valde sibi cavent ab imaginibus protuberantibus, eminentibusqve, nec non ab istis, quæ integra exhibent corpora.

CAPUT III.

De Apparatu Culinæ & Mensæ.

I.

VAsa culinæ & reliqva, qvæ huc spectant recentia, ac nuper acquisita sint, necesse est; quod si ab aliis jam atqve Judæis adhibita sint, imprimis verò va-

sa

sa testacea, qvæ ad ignem decoctis impleta sunt, frangi & in pulverem comminui debent; ideò qvod forsan lege vetita potuêre iis inesse, qvorum insignis alias est numerus, ut pluribus id docebitur P.II. c.6. Ad hanc classem, & istud vasorum genus referas velim, qvod transpirationi facillimè obvium est; Sin autem utensilia ex metallo, vel lapide elaborata sint, qvæ non æqve atqve testacea humores imbibunt, uti istis qvidem licet, postqvam nempe igni & aquæ effervescenti immissa, atqve sic demum expurgata probè fuerint.

II. Qvum sibi vasa culinæ aut mensæ inservientia, sive ex vitro aut terra confecta, sive ex ære fusa de novo comparant, illicò illa ipsa in mare, fluvium, puteum aut aquam profundam immergunt, ut eo magis omnibus insignem suam, cui incumbere videri volunt, probent munditiem, qva de aliàs præcipitur Num. 21. v.23.

III. Distinctam sibi tam culina, qvàm mensa vendicant supellectilem; alia qvippe vasa lacticiniis destinantur, cibisqve ex lacte præparatis; alia itidem pro reliqvis asservantur cibis; minimè namqve, uti monebitur P.II. c.6. carne & lacte uno eodemqve tempore vesci licitum est.

IV. Alia adhuc Judæis & utensilia, & armaria sunt, solùm tamen in solennitate Paschali adhibenda, & à contactu panis fermentati integra, puraqve servanda, conf. cap.3. P.III.

CAPUT IV.

De Somno, & Insomniis.

I.

Juxta Doctorum placita Nostri cubilia sua ita collocant, ut caput septentrionem versus vertant, pedes verò meridionalem habeant oppositam plagam; aut

vice versa. Contra admodum sibi cavent, nec probant corporum situm versus Orientalem aut Occidentalem plagam, ad significandum reverentiam suam, qva civitatem Hierosolymitanam juxta, ac templum sanctum, ita qvondam sita, prosequvuntur. Sed perpauci hodiè extant, qui hanc capiunt ἀκρίβειαν, aut istam curant atque sectantur.

II. Precibus suis à Deo, qvando cubitum se conferunt, contendunt, præstet eos liberos à periculis noctis ingruentibus; qvin & in dulcissima qviete ossa ipsorum sinat recreari, ut adeò postero die vegeti, validiqve iterum expergisci queant. Hisce subdere solent v. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. cap. 6. Deut. & Psalm. 4. item Ps. 121. nec non v. 5. Ps. 31. *In manum tuam, Domine, depono Spiritum meum*: alia adhuc pro cujusvis consvetudine & propensione ab aliis addi loca solent.

III. Multam, maximamqve somniis attribuunt fidem, commoti tum exemplis in sacris literis passim occurrentibus, Jacobi nempe, Josephi, Pharaonis, Nebucadnezaris, Danielis, aliorumqve; tum eo, qvod legitur Job. 33. v. 15. *Per somnium visionis nocturnæ &c. revelat auribus hominum, &c.*

IV. Eousqve verò nimia illa somniis adhibita fiducia progreditur, ut si cuidam somnium infausti aliquid portendens obrepat, unde infortunium sibi metuendum esse censeat; imprimis si contingat, ut ad unam speciem * ex qvatuor istis Rabbinorum expositione illustratis referri queat, die isto à cibo abstinere cogitur, congruenter modo, in jejunio alias observato, qvo de inferius; à qvo neqve Sabbathum, neqve alius dies sacer qvenqvam absolvere potest.

* *Qvatuor species istæ somniorum sunt; Si quis v. g. videat ardere Librum Legis; aut die expiationis sese inter-*

interesse precibus נעילה *post actum precandi vespertinum, sole pene abscondito, recitari solitis; aut si in quiete per visum accipiat, ac si tigna domus sua transversa in terram dejiciantur; aut ex ore defluant dentes. Additur ab aliis & hac species, cùm quis videt uxorem suam cum alio viro rem habere, atque concumbere.*

V. Adventante nocte, jejunioqve ad finem perducto, antequam qvicqvam cibi assumit, tres somniator ad se advocat ex amicis atqve familiaribus suis, qvibus septem vicibus acclamat: * *Sit felix, faustumque, quod per quietem mihi apparuit somnium*; Atqve hi ipsi toties respondent: *Omninò sit ita. Iubeat supremum Numen felix illud esse, prosperumque dignetur dare ejus successum:* Voto huic deinceps vaticinia nonnulla prophetica subjungunt; ad ultimum, si somniator nil mali somnio subesse ominatur, occinunt illi familiares ista Eccles. cap 9. v. 7. *Vade, comede in gaudio panem tuum &c.* atque ita, hactenus qui jejunarat, iterum cibum capit.

* *Ceremonia ista hac in somniis observata satis amplè deducta est, habitâ ratione Iudæorum Italorum, in rituali precum Iudaicarum editionis Mantuanæ.*

CAPUT V.

De Vestitu.

I.

PRohibitum Judæis, vestiri indumento ex lino & lanâ contexto; uti præcipitur Levit 19. & Deut. 22. v. 11. *Non induas te vestimento ex heterogeneis confecto.* Hinc nefas esse ducitur filo lineô consuere pannum laneum; aut contra textile lineũ conjungere cum lana.

II. Similiter utriqve sexui, Viris nempe & Mulieribus, interdictum vestimenta sua inter se permutare, qvemadmodum scriptum extat Deut. 22. v. 1. *Ne esto indumentum virile super feminam, neque induito vir vestem femineam*; Sic & Viris omnes effeminati mores prohibiti sunt; qvo spectant omnis generis fuci in faciem inductio, & capillorum, canorum scilicet, evulsio; Mulieribus pariter interdictum, ne sibi, qvod spectat ad viros, vindicent atqve utantur.

III. Inde etiam fortasse est, qvod viris non liceat novacula barbam radere à temporibus ad maxillas usqve, aut detondere totam. *Non corrumpes extremitatem barbæ tuæ.* Levit. 19. v. 27.

IV. Qvod ad formam vestimentorum, sanè non nisi inviti, ad vitandum nempe ludibrium, aliarum Nationum mores & ritus imitantur. Præterea haud licitum, comam ad formam coronæ tondere, aut circos alere distinctos in vertice, nec aliud qvid efficere, qvod huc proximè accedit: Interea ubiqve ferè vestimento ad pedes usqve defluente, vel toga delectari Nostri solent.

V. Feminæ qvidem in conficiendis indumentis, ac ornatu suo attendunt loci, ubi vivunt, consvetudinem; tantum in nuptiis suis comâ qvadam ascititiâ capillos suos abscondunt, aut calanticam adhibent, qvæ exactè comam naturalem refert; neqve in hoc necesse est abire (de externis solùm sermo) à moribus Regionis, in qva degunt, & cujus cum incolis versantur. De cætero admodum sibi cavent, ne coma nativa promineat, videntiumqve exponatur oculis.

VI. Pileum detrahere turpe sibi ducunt viri; nullum enim, ne minimùm qvidem, honoris indicium in eo situm esse arbitrantur, neqve etiam caput in Synagogâ

gogâ aperire illos inter receptum. At eum advertunt, honoratiores inter Christianos eo honoris signo excipi, idem humanitatis officium etiam Nostri studiosè sibi observandum esse putant.

VII. Certum iis est vestimenti genus, ex qvatuor panniculis constans, ab unoqvoqve horum resticula adinstar paniculæ deorsum pendet, & ציצית communiter appellatur. Porrò funiculus iste, utplurimùm octo filis laneis constat, studio ita contextis, cum nodis qvinqve ferè in medio. Reliqva pars, scilicet non colligata, speciem paniculæ refert, secundum illud Num. 15. v. 38. Deut. 22. v. 12. ubi jubentur Israelitæ facere sibi peniculamenta in vestimentis suis.

VIII. Hoc tamen præceptum modò memoratum Viri tantum, non æqve fœminæ, observare tenentur, nec unqvam datur, qvæ isthoc ornatu in publicum prodire velit.

IX. Judæis ipsis sordescere hodiè videtur ista vestiendi ratio, ad cavendum sibi eo melius à ludibrio ac vexatione hominum, qvibuscum uno fruuntur cœlo, unumqve hauriunt Spiritum. Iis proinde, qvi pietate, sanctitateqve præ reliqvis eminere volunt, sufficit, sub toga circumferre pannum qvadrangularem, in cujus extremis sive oris qvatuor conspiciuntur peniculamenta dicta ארבע כנפות (*qvatuor alæ*) qvibus ipsis in memoriam revocatur, ut secum semper recolant & meditentur mandata Domini, qvemadmodum legitur Num. 15. v. 20. *Vt recordemini omnium præceptorum meorũ.* Ast tempore precibus destinato incedunt in Synagoga circumdati velo, seu palliolo qvodam laneo qvadrato, in cujus angulis paniculæ apparent. Judæis velum istud appellatur טלית, qvo de plura c. 11.

X. Ulterius Viri fronti alligatas habere debent

ſchedulas memoriales, qvæ in Scriptura טטפות, à Judæis autem nomine תפלין ſalulantur. Ita namqve de iis extat ſcriptum Deut. 6, 8. & cap. 11. v. 18. *Et ligabis ea* (verba) *qvaſi ſignum in manu tua, eruntqve monumentum inter oculos tuos.* Qvæ verò figura ac qvalitas תפלין, ſatis docebit cap. 11. P. 1. Cæterum & hîc, ne exagitentur, riſuiqve ſeſe exponant, inſignem adhibent cautelam; inde horis precibus conſecratis tantum frontalibus atqve phylacteriis ſeſe exornant.

XI. Ita qvoqve veſti ſeu togæ optimè convenire putant cingulum, aut aliud qvodcunqve huic ſimile, ad diſtingvendũ partes corporis ſuperiores à reliqvis.

CAPUT VI.

De Modeſtia à Judæis alvo urgente obſervata.

I.

DE loco alvo purgandæ deſtinato, & qvo pacto Judæi illic ſeſe gerere debent, ἐκ περισσοῦ mentis ſuæ ſenſa Magiſtri noſtri aperuerunt: Paucis; Monita ipſorum omnia huc tendunt, ut ſanitatem ſuam tueri, honeſtati item, ac modeſtiæ præcipuè ſtudere & incumbere addiſcant homines. Qvæ omnia innui ac ſignificari dicunt Deut. 23. v. 12. ubi Moſes ait: *Spatium eſto tibi extra caſtra, ut egrediaris illic foras, & pax illius eſto tibi* &c. *Eritqve* &c.

II. Cum ad preces matutinas ipſis properandum, prius meminiſſe debent latrinas petere, alvi exonerandæ gratia. Altera cura erit, manus ſordibus infectas perpurgare.

III. Cum alvum urgentem qvis ſenſerit, minimè cohibere, aut naturæ reluctari debet, niſi qvis graviſſimum committere peccatum, atqve ſemetipſum inqvina-

qvinatum reddere velit. Uti consignatum legimus Lev. 11. v. 44. *Ne contaminetis vos ipsos*, &c.

IV. Vicissim pudicè & verecundè sese, qvantum qvidem in ipsis situm, gerere debent, si à qvoqvam sese videri posse conjiciunt, atq; ominantur.* Et qvum antehac latrinis in habitaculis suis carerent, atq; adeò, natura dejectionem efflagitante, omnium oculis expositi essent, qvo pacto verecundiæ consulendum, multas, longasq; inter se invicem instituêre disputationes; item cum gravissimis propterea periculis sese obnoxios esse viderent, certis precibus affectum, præsidiumqve Angelorum custodum sollicitare, sibiqve conciliare studuêre; qvos tamen hodiè abrogatas, nec ullius amplius usus esse novimus.

* *Desunt isthæc, velut inutilia, nec amplius inter Judæos consveta, in secunda opusculi hujus editione, usqve ad-5.*

V. Ventre ita purgato, & ab omnibus sordibus vacuo, pergere solent ad manuum lotionem, Deoq; gratias agunt, qvod non solùm miraculosè homine creare voluerit; sed qvoq; miris modis eum ad hodiernum diem sustentare dignetur; minimùm namqve obstaculum, motum excrementorum sistens, sufficeret omninò aliàs accelerare homini mortem; Et sanè toties repetunt istam gratiarum actionem, qvoties natura alvum laxare efflagitat.

CAPUT VII.

De ratione & modo lavandi manus atq; faciem.

I. MAnus faciemq;, posteaqvam de lecto exiêre, sordibus expurgare tenentur. Hinc admodum sibi ante hoc officium præstitum cavent à cibi, panis, libri, & ullius rei sacræ contactu.

II. Ad aqvæ qvalitatem, modumq; ea utendi, qvod attinet, prolixi satis, subtilesqve sunt in hoc negotio, definiendisqve ipsius circumstantiis Magistri, ii nempe, qvi nimium hac in re sibi sapere videntur; cavent iidem, ne qvidqvam aqvæ, qvæ corpori lavando modò inservierat, in terram effundatur; pedem enim hinc movere, & locum effusionis pertransire, immundum esse censent.

III. Manibus ita; facieq; ablutis & absterſis, sine mora recitant benedictionem Cap. 9. à me memorandam.

CAP. VIII.

De Munditie.

HAud obscurum ex Levitic. immundum habitum, prohibitumqve fuisse ingredi in Templum, qvi cadaver ullum, hominem item leprosum, aut reptile aliqvod, vel hisce similia manu contrectarat; verùm, ex qvo in cineres redactum est Fanum Hierosolymitanum, omnem Judæi antiqvatam prætendunt esse legem, qvæ res immundas concernit. Interim ab Esra perhibent sancitam fuisse legem, qvæ aliqvantisper duravit, immundum declarans hominem, semine emisso sese inqvinantem. Convenit sanè cum hoc, qvod olim præceperat Dominus Levit. 15. v. 16. ubi ita: *Qvisque cum ex eo exibit concubitus semen, is lavabit aqvâ totam carnem suam, & adusque vesperam erit immundus.* Enimverò, cum præceptum hoc observatu difficillimum esse in negotio matrimonii deprehendêre, cœpêre idipsum negligere, nec amplius ipsius rationem habent.

CA-

CAPUT IX.

De Benedictionibus.

I. LAudandum SS. Numen, eiq; gratias agendas esse, suos docuêre Judæorum Magistri, non tantùm, qvum qvotidianas fundunt orationes, aut singulari à Deo beneficio affecti fuêre; Verùm etiam in omni occasione, inopinatò, & præter spem oblata, aliisqve, qvæ qvotidiè occurrere solent, eventibus; adeò ut neqve edere, neq; bibere, neqve gratum, suavemq; naribus percipere odorem iis ipsis ante liceat, qvam nomen Divinum celebrarunt, summisqve ornarunt laudibus. Qvin & pro lege tam scripta, qvàm ore Sapientûm prolata * Deo gratias agere tenentur. Qvod præceptûm qvoq; extendi solet ad res nunqvam ante visas, & miraculorum plenas. Varii enim, ac diversi generis congessêre laudes, qvas sigillatim recensere, cum numerus illarum penè infinitus sit, nunc à nobis non est expectandum; eas interea petere licet, & integrum est videre in insigni qvodam tractatu, in hunc finem à Doctoribus composito.

* *Præter jussa, lege comprehensa, alia adhuc laudata nomine præceptorum Sapientum,* (חכמים) *acceptantur à Judæis, qvæ Doctorum qvilibet suo confirmavit tempore, habita ratione Cultus divini, ad quem stabiliendum vel maximè facere credunntur.*

II. Summo mane, & qvàm primùm lectum deserunt, in hæc erumpunt verba: *Benedictus Tu Domine Deus noster, Rex Mundi, qui vitam restituis mortuis, cæcos illuminas, terraque molem super aquas extruis, & expandis* &c. Cùm manus sordibus expurgant, sequenti elogio obedientiam suam erga præceptum deabluendis manibus testantur, dicendo: *Benedictus Tu Domine Deus noster, Rex Mundi, qui per præcepta tua nos*

nos sanctificasti, nobisque in mandatis dedisti manus coinquinatas aqua eluere. Legi operam daturus ita precatur. *Benedictus* &c. *qui Lege tua nos donasti.* Cum lætabundi cibo appositò sese reficiunt, hâc utuntur formulâ: *Benedictus, qui substantiam panis ex utero terræ progerminare fecisti.* Calicem ori qvi admovet, ita in antecessum orat: *Benedictus Procreator fructus vitis.* Arborum fructus dum apponuntur, ingeminant istud: *Benedictus Creator fructus terræ.* Odorifera naribus applicando, ajunt: *Benedictus, qui tam suavia, grataque naribus procreasti.* Si qvis altissimos intuetur montes, aut amplissimum maris ambitum, oculis suis usurpat, hæc secum ruminatur: *Benedictus rerum omnium primogenitarum Creator.* Si qvæ ante nec visa, nec degustata oculis, palatoqve primum offeruntur; sic cùm novam induunt vestem, qvin & sub initium Festorum solennium, hoc modo precari solent: *Benedictus, qui vitam nobis largitus es, & incolumes nos ad hunc usque diem præstitisti.* Mortuo qvi assistunt, murmurant secum; *Benedictus justissimus atque verissimus Iudex.* Atqve ita porrò in omnibus suis negotiis & actionibus id sibi semper commendatum habent, ut precibus suis cœlum fatigent, credentes, non minimam esse ingratitudinem, si qvis participet de bonis hujus seculi, neqve tamen per preces eucharisticas à Deo, qvi in omnia imperium tenet, universa ista proficisci fateatur.

III. Centum minimum qvotidiè benedictiones seu gratiarum actiones recitare tenentur, qvas plerumq; tempore matutino in Synagogis unà cum reliqvis precibus decantare solent; appellant istas מאה ברכות (*centum gratiarum actiones.*)

CA-

CAPUT X.

De Synagogis, aut Scholis.

I.

SYnagogas, quas etiam Scholas vocant, extrui curant & parvas & magnas, humiles item & altas. Nonnunquam in certa quadam domo conventum instituunt, aut alium quendam peculiarem locum, prout nempe ipsorum conditio fert, sibi eligunt; quandoquidem pecunia ad extruendas ædes magnificas, sumtibusque destituuntur. Parietes autem Synagogæ interiores dealbati, atque aulæis superinducti apparent. In circuitu ascribuntur loca & sententiæ Scripturæ, velut tot incentiva ad excitandum devotionem & ardorem in precando. Sedilibus porro & scamnis in eorum gratiam, qui considere cupiunt, instructæ sunt; nec non parvis quandoque armariis pro libris, togis, aliisque rebus asservandis. Sic & in medio Synagogæ, ipsisque parietibus suspensa sunt candelabra & lampades, oleo ac cera instructa, ad illustrandum locum, in quo coacti sunt; Pariter videntur quoque cippi, stipis cogendæ gratia, quæ collecta pauperibus deinceps erogatur.

II. In qualibet Synagoga versus plagam orientalem habetur arca, vel armarium quoddam, Ebræis dicitur ארון, in memoriam Arcæ fœderis in templo quondam existentis; ubi reconditi jacent quinque libri Mosaici, conscripti atramento peculiariter in hunc usum confecto ac præparato literis quadratis (quod vocant מרבע) * summaque cura & accurato stu-

* *In ipsorum gratiam, quibus cura est in usum Synagogarum legem describere, infinitum pene*

numerum regularum atque observationum congessere Iudæi; sed bonam partem nugis atque superstitionibus referta sunt; Dantur præterea, qui nimis confidenter prætendunt, sese posse ostendere exempla Legis accuratissima. At quicquid etiam garriunt de pervetusto illo, quod Esræ alias acceptum fertur, exemplari, merito id omne inter aniles Iudæorum fabulas atque commenta refertur.

dio expressi ad archetypum per Esdram descriptum, cujus exemplar aliquod Cairæ asservari dicitur, ad quod ad conficiendum autographo Mosaico usus esse perhibetur, Lib. II. Esdræ Cap. 8. Tanta vero in describendo accuratio adhibenda est, ut si vel minima abundet aut desit litera, nullius plane momenti, nec lectione dignum judicatur exemplum. Imo Scribarum nullus deficere debet in ulla receptarum formularum, infinitarum licet, quas Doctores, ne unquam oblivioni darentur, literis sincere ac fideliter tradiderе. Pentateuchus non servat librorum hodiè compactorum formam; sed antiquorum more ad instar convoluti est, quod constat corio membranaceo non filis sed nervis animalis mundi consuto. Hoc corium ab uno extremo ad alterum ita contextum descriptumque convolvitur circa duos bacillos ligneos, qui sunt in utraque extremitate, obtegiturque peculiari integumento lineo, vel bombycinô. Id munus ad feminas spectat, earumque communiter opus præcipuum est, scitè nempe contexere ejusmodi opercula, eaque usui sacro consecrare; addunt præterea adhuc aliud involucrum sericum, augendi splendoris gratia; quin & pretium ex eo Libro Legis accessurum putant, si bacillorum modo memoratorum

tum (quos vocant עץ חיים *lignum vitæ*, quique longitudine sua multum membranam excedunt) extremitatibus argenteas superinducant laminas, tintinnabulis, granatisque (רמונים *dicta, seu poma granata*,) interdistinctas & exornatas: inferius circiter & quidem à fronte collocant coronam integram aut dimidiatam; vocant eam עטרה (*coronam*) aut כתר תורה (*coronam legis*) At in omnibus hisce cum consuetudinem loci, tum Doctorum attendunt placita. In armario plusquam viginti exemplaria Libri Legalis (ספר תורה) nonnunquam recondita latent, unde in festis solemnioribus, ac tempore lectioni destinato coram cœtu publicè certa recitantur capita, uti suo loco docebo.

III. In media Synagoga, aut statim, ubi introitus patet, apparet ambo altari ligneo paululum elevato haud absimilis. Hîc itaque, quando legendum, evolvitur liber, imponiturque tabulis aut abaco, cum sermo habetur ad populum.

IV. Latus quoddam Synagogæ cingitur ambulacro in sublimi suspenso, cancellis instructo ligneis, quo sese fœminæ devotionis exercendæ gratia conferre solent: hasce, quid agatur in Synagoga, minimè quidem latet, in conspectum tamen virorum venire, aut cum iis in ipsa Synagoga versari, omnino illis interdictum; facillimè namque animus precibus intentus istarum obtutu distrahi potest, quo ipso gravissimum committitur peccatum.

V. Situs, aliæque loci, ubi mulieres conveniunt, circumstantiæ variant & quandam habent dissimilitudinem pro diversitate Regionum ac populorum, quibuscum versantur nostri. At ambulacri modo dicti eadem penes omnes structura est.

VI. Con-

VI. Constitutus quidam est ad præcinendum precationes, * חזן dictus; ** Alius item custos Synagogæ, ad quem pertinet, mundam nitidamque servare Synagogam, lampades, cereasque accendere; uno verbo, præstare omnia ista, quæ precum tempore requiruntur, dicitur שמש *** Uterque ex publico alitur ærario.

* *Iudæi ita pronunciant preces suas, ut potius canere, quam precari eos diceres. Sic dum recitant textum, non prælegere, sed cantitare eum videntur.*

** *Idem Iudæis est* חזן, *qui lector alias dicitur, R. P. R. idem vocabulum quoque extat apud S. Epiphanium.*

*** שמש (*Minister*) *convenit cum eo, qui alias appellari solet Diaconus; Quemadmodum adhuc hodie Ecclesia Syriaca suis Diaconis idem nomen imponit: Vtut aliàs commune nomen est, omnibusque, qui cultui divino inserviunt, tribuitur.*

VII. Plures pauciores ve, habita sc. ratione numeri ac distinctionis Judæorum ibi obviorum, dantur in qualibet civitate Synagogæ; Licet enim Orientales, Germani item, ac Itali, nullam aliam, nisi ratione precum, inter se agnoscant differentiam, seorsim tamen sacra suis cum popularibus celebrare amant.

CAPUT XI.

De Precibus, Palliis, Frontalibus & Pentateucho.

I.

TRibus quotidie vicibus ad preces solenniter peragendas Judæi Synagogam frequentant: Mane qui-

quidem huic cultui destinantur primæ quatuor horæ à Solis ortu. Quod precum tempus appellatur iis שחרית (i. e. *preces antelucanæ.*) Hanc Orationem excipitalia à meridie recitanda, dicitur מנחה (id est *nonæ.*) Ultimus precum conventus ab occasu Solis instituitur, vocaturque ערבית (id est *vesperæ Sacræ*) Enim vero quibusdam in locis, cum nempe non incidit dies festus, conjungunt sole occumbente una cum Nonis preces vespertinas, prout commodum ipsis videtur.

II. Licitum non est, nec conceditur, nondum finitis precibus matutinis, edere, bibere aut quicquam operari. Pariter deflectere ad salutandum, exhibendumque humanitatis officium, neutiquam Judæis premittitur. Ei, qui Synagogam salutare intendit, ante omnia manus detergendæ sunt.

III. Quam primum manè introivere Synagogam, obtegunt sese טלית * quo de plura vide sis Cap. 5, n. 7. 8. 9. recitant & benedictionem Cap. 5. n. 10. *Benedictus sis &c.* Quidam velo caput obvolvunt, aliisque circa collum illud circumvolvunt, ut eo attentiores sint in precibus fundendis, neque oculi huc illucve deflectantur.

* *Vox* טליט *aut* טליד (*prout efferunt Judæi Itali,*) *apud Rabbinos pallíolum notat, aut vestimentum corpori proxime adhærens, cui alia adhuc super inducta sunt.*

IV. Phylacteriis sese deinceps exornant, תפלין alias dictis, quibuscum ita comparatum est. Descri-

** *Vox* תפלין *penes Chaldæos & Rabbinos idem sonat ac precatoria, eo quod ista Judæi adhibere soleant, dum in precibus recitandis occupati sunt.*

scribuntur beneficio atramenti distincte ac literis quadratis in duobus membranæ fragmentis summo cum studio quatuor Scripturæ loca sequentia; nempe, *Audi Israel*: Deut. 6. 4. item: *Erit igitur, si serio auscultaveritis*. Deut. 11. v. 13. tum: *Consecra mihi omne primogenitum*. Exod. 13. 1. denique; *Idcirco futurum est, cum introduxerit te Iehovah* v. 5. &c. Bina autem ista fragmenta obvoluta formam parvi atque acuti convoluti præ se ferunt, & includuntur corio vitulino nigro, quod deinceps alio quidem ejusdem generis, sed solidiori ac quadrato involvitur corio, cui assuitur lorum ejusdem materiæ, latitudinem unius digiti, ac longitudinem unius cubiti atque dimidii circiter non excedens. Phylacteria ista hac ratione confecta sinistro alligantur brachio, lorum autem inde dependens, posteaquam inde effinxere nodum parvum, exhibentem literam *Iod*, circa brachia ad instar lineæ spiralis circumducitur, donec ad extremum digiti medii descendat; appellantur Judæis תפלין של יד (*phylacteria manuum.*) Ad alteram speciem תפלין quod attinet, denuo quatuor dicta ista, quibus de modo, inscribunt quatuor fragmentis membranaceis divisis, quæ obvoluta formam relinquunt quadratam, cui impressa est litera ש. Deinde superinducunt pellem parvam quadratam, eamque vitulinam crassam, ejusdem cum superiori generis, unde prominent duo lora figura & longitudine sua modo recensitum exacte referentia: Membranam illam quadratam medietati frontis alligant, lora autem capiti astricta efformant nodum in syncipite, in quo apparet figura literæ ד propendentque ad usque pectus. Cæterum dicuntur à Judæis תפלין של ראש (*phylacteria capitis*,)

&

& vulgariter tempore matutino solum cum טלית adhibentur. Fervidiores autem, cultusque divini tenaciores qui videri volunt, nonis adhuc durantibus, istiusmodi induti ornatu incedunt. Aliàs pauci præter cantorem in ipso precandi ritu utuntur טלית.

V. Cœtu decem (tot namque, quando inchoandæ sunt precum solennitates, adesse debent,) hominum, minimum tredecim annorum, cum excessu unius diei, coacto, ad abacum, aut aram sese confert cantor, aut subsistit ad armarium arcæ, voceque elata preces decantare incipit, cui reliqui congregati accinunt, sed sono paululum depressiori, ac submissiori.

VI. Ingens, qua sonum externum, nationem Judaicam inter datur precum dissimilitudo. Germani magis intentum atque alii edere solent sonum. Orientales verò atque Hispani forma cantus apud Muhamedanos recepti utuntur. Itali placidè recitant preces suas. Continent porro preces, habita profanorum, festorumque dierum ratione, plus minusve verborum ac formularum, neque sic tamen omnis cessat diversitas.

VII. Verum in his omnes fere conveniunt, quod nempe summo mane illicò à congressu suo Psalmos, imprimis Ps. 145. *Exaltabo te, Deus mi*, cum sequentibus, quorum initium; *Halleluja*, recitent. Hinc addere solent Synopsin laudum divinarum, quarum sæpius, omni tempore, & in omnibus fere precibus iteratur mentio, quo spectat τὸ קדיש cujus initium: *Sit nomen tuum exaltatum & sanctificatum*: Psalmus item in honorem & gloriam Creatoris lucis & diei decantandus, יוצר dictus, à prima Psalmi voce Creatorem denotans. Dictum etiam

Deut.

Deut. *Audi Israel*, sæpius jam allegatum, cujus ultima: *Erit igitur, si tu auscultaveris*: nec non illud, Num. 15. v. 38. *Alloquere filios Israel, & edicas eis, ut sibi faciant peniculamentum, &c.* tres illæ lectiones dicuntur קריאת שמע (*Lectio. Audi Israel,*) quibus vulgo addi solet ויציב &c. (*sit firmum seu verum,*) ita namque initium Psalmi habet. Referri etiam huc merentur octodecim benedictiones, propterea dictæ שמנה עשרה, quibus res ad viram honestam agendam necessariæ à DEO efflagitantur; cujusmodi sunt panis quotidianus, valetudo, libertas, peccatorum remissio; &c. has gratiarum actiones in ipso congressu, voce sed humili ac submissa, pronunciant; easdem verò & Cantor postea recenset, at voce clara & elevata, recantans simul Ps. 145. locisque nonnullis subjunctis ex Prophetis desumtis, quo pertinet illud Esa. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus est Iehova exercituum, &c.* additaque interpretatione ex Chaldæo. Quibus omnibus ad formam præscriptam ita recitatis, finis tandem precibus imponitur ope lectionis & gratiarum actionis ad Deum institutæ pro divina illuminatione, cujus beneficio impetrarunt, verum Numini supremo cultum, servitiumque præstare: rogant insuper, eandem dignetur Dominus quoque gratiam ad reliquas redundare gentes, ut adeo ab omnibus unâ eademque ratione, unaque voce, pari emissa consensu, invocari possit. Vocatur actus iste הלינו ליה שבח (*annon nostrum est laudare eum?*) ita videlicet comparatum cum precibus matutinis.

VIII. Diebus Lunæ ac Jovis precibus post שמנה עשרה subjicitur forma quædam confessionis & precum pœnitentialium; quod si quispiam in ani-

animum induxerit à cibo potuque abstinere, dictos dies præ reliquis eligit. Appelluntur alias dies justitiæ, eò quod antiquitus Judices in ordine ad justitiam divinam hisce diebus litigantium causa dirimebant, in emporiis æque, magnisque civitatibus, atque in pagis locisque vicinis, ubi, velut in foro publico, seu rerum venalium, omnes ac singuli, litibus implicati, sistere sese cogebantur.

IX. A meridie denuò à Psal. 145. sacra sua ordiuntur. Quibus absolutis recantant קדיש & שמנה עשרה, ab initio quidem sono humili, deinceps vero voce admodum alta repetunt קדיש, sub cujus fine concio rursus dimittitur.

X. In congressu vespertino Ecclesia Deo gratiam refert, pro donatione & largitione noctis, item pro summo amore, quo gentem complecti voluit Judaicam; nec non pro præceptis divinitus datis; reiterant præterea קריאת שמע, cui additur commemoratio Redemtionis miraculosæ illius ex Ægypto; quin & precibus à Deo contendunt, ut suavi ac tanquillo somno noctem præsentem transigere ipsis liceat: demum his omnibus subjunguntur 18. commata ex Prophetis; octodecim itidem gratiarum actiones, dictæ שמנה עשרה; Ad ultimum quoque הלינו ליה שבח una cum קדיש, quo pacto devotioni vespertinæ satisfactum esse putant.

XI. Ita nempe sese habent preces quotidie ab iis decantandæ, quæ &, ut suo loco patebit, in festis solemnioribus recitantur: sunt enim & ratione indolis suæ instar scaturiginis & fundamenti reliquarum; imo harum intuitu nulla adeò magni momenti differentia in natione Judaica datur.

XII. Pentateuchum totum ex æquo divisere in

48. aut

48. aut 52. lectiones, quas dicunt פרשות (*sectiones*,) harum unaquæque peculiarem sibi assignatam habet septimanam, qua prælegitur in Synagoga; adeo, ut quolibet anno, sive jam 12. sive 13. constet mensibus, totus Pentateuchus legendo absolvatur. Diebus Lunæ & Jovis, precibus pœnitentialibus ad finem perductis, producitur ex armario ספר תורה (*liber Legis*,) recitatoque commate ex Psal. 34. *Magnificate Iehovam mecum*, cum quibusdam aliis sistitur Lex devoluta & explicata in ara illa parva, aut pulpito, roganturque ex numero congregatorum tres, ut legant initium sectionis illius, quam ordinis ratio postulat. Quilibet legentium pauca benedictionis verba præmittit, ante nempe & post lectionem pronunciari solita; benedictionem deinceps Cantor Ecclesiæ impertitur. Hisce omnibus ad eum modum factis, quilibet promittit eleemosynas in pauperes, Synagogam, aut in Cantorem, vel custodem seu ministrum Synagogæ impendere & erogare; adhæc liber Legis penè adapertus sursum elevatur, diciturque cœtui, scripturâ Legis ostensâ: *Ecce Legem, quam tradidit Moses, &c.* Penes Orientales moris est, id ipsum ante legis recitationem præstare. Tandem rursus complicatur obvolviturque Liber, atque in armarium reponitur.

XIII. Esdræ tribuuntur & iste modus legendi, & ritus invitandi plures, aut pauciores ad Legis lecturam, quod institutum omnibus diebus festis atque jejunii exerceri suo loco fusius docebitur.

XIV. Cum quilibet actionum sacrarum, cujusmodi sunt, librum ex armario petere; aut illuc iterum deportare; aut hisce similia agere, ad testandam devotionem suam, particeps fieri gestiat, ejusce-

modi

modi officia plus licitantibus conferuntur, argentumque inde collectum in usum pauperum vel Synagogæ vergit.

CAPUT XII.

De Sacerdotibus atque Levitis, nec non de Donis iis oblatis, atque Decimis.

I.

NEmo primis temporibus in templo Sacrificiis, reliquisq; operibus sacris operam dabat, nisi qui ab Aarone familiam ducebat; quemadmodū id ipsum clarissimè in Exodo, aliisque Scripturæ locis passim docetur; Hi nempe erant, qui sacrificia offerebant, faciebant oblationes, thus adolebant: paucis; qui omnia ista, quæ cultus requirebat, effectui dabant; Non solum autem iis cedebant partes sacrificiorum, quæ offerebant, loco jam citato designatæ, sed & de omnibus, quibus jugulum exscindebatur, participabant animalibus: Sic igitur ipsis dabantur humerus, cum thorace & maxillis. Donabantur præterea primogenitis gregum, nec non lytro, quod pro primogenitura masculorum solvebatur. Prima item ovium vellera, aliæque brutorum exuviæ, ut & pars quinquagesima fructuum, in agro collectorum, nec non frustum massæ farinariæ cujuslibet massæ panis, cum reliquis, quibus de Scriptura præcipit, Sacerdotibus atque Levitis exhibebantur.

II. Levitarum munus erat in templo, tempore destinato, cætui præcinere. Gaudebant decimis cujuslibet messis, & foràs ad colligendum prodibant.

III. Enim verò ad ejusmodi functiones obeundas

das, hodie amplius obstricti non sumus, nisi forsan ii, qui regionem Hierosolymitanam ac veterem Palæstinam incolunt; Paucissimi namque Judæorum superstitum proprias sedes, aut armenta hodie possident, & licet sint adhuc, qui genus suum à primi ævi Sacerdotibus * ac Levitis derivare sustinent, nec, obstantibus tot gravissimis exiliis ac deportationibus, certissimam tamen stirpis suæ seriem dare erubescunt; Nulla interea gaudent præeminentiâ, nisi huc referre velis donaria à primogenitis oblata & πρωτοτοκιδεῖα, qua gaudent eos inter, qui ad legendum Pentateuchum invitari solent. Conf. cap. XI. n. 12. Meritò huc quoque trahitur benedictio, quam in Festis solemnioribus populo impertiunt, vi verborum Num. 6. *Benedicat tibi Iehovah & custodiat te, &c.*

* *Plerique Iudæorum in hodiernum usque diem, utut gloria templi destituantur, titulo* כהנים (*Sacerdotum*) *tamen mirum in modum delectantur; ast nudi tituli vana gloriatio; quum veri nominis Sacerdos amplius inter illos non detur neque reperiantur.*

IV. Maxime iidem sibi cavent ab attactu cadaveris, ut & ab integumento, sub quo cubavit demortuus. Primogeniti certa pecuniæ summa ab iis redimuntur. Conf. P. IV. c. 9.

V. Non convenit, Sacerdotem mulierem à maritò suò repudiatam in uxorē ducere; Neque sororem uxoris, in qua locum habuit חליצה Conf. cap. 7. P. IV.

VI. Honore parum à se invicem distant Sacerdotes atque Levitæ.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Agricultura & Bestiis.

I.

UBicunque Judæis prohibitum est sementem granorum specie distinctorum, uti sunt frumentum & hordeum, &c. facere in agris suis; quin nec cum nucleis acinis aliud quippiam simul serere, licitum; juxta illud Levit 19. v. 19. *In agro tuo ne serito duo seminum genera.* Sic nec per insitionem ullam arborem v. g. malum persicam, malum auratam, propagare debent; aut jam satam tolerare in agris, hortisque suis. Fructus interea ejusmodi arborum adventitiarum comedere non prohibentur.

II. Arborem frugiferam qui seminavit, fructu illius non nisi tribus à satione annis elapsis vesci nequit. Fructus istiusmodi quarto semper anno antiquitus Sanctuario consecrabantur. Levit. 19. 23. Verum hodiè nullâ adhibita solennitate, ac sine ulla pompa colliguntur tantum.

III Severe interdictum, committere animalia diversæ speciei, v. g. asinam cum tauro, aut similia, ut prodeant monstra vi præcepti divini Levit. 19. v. 19. *Iumentorum tuorum ne finito coire duo genera.* Sic neque permissum, uni eidemque labori heterogenea adhibere animalia, vel abuti iis ad aratrum simul aut ad currum trahendum, secundum illud Deut. 22. 10, *Non arabis bove & asinò pariter.*

IV. Agrum demetendo relinquere olim tenebantur partem quandam in agri extremitate intactam. Idem quoque observandum in vindemiando

erat; racemationem nempe vineæ cum uvis reliquam faciebant.

V. Quôlibet annô septimô quiescere primo ævo sinebant agros suos, quæque sponte germinabant in pauperum cedebant victum. Lev. 25.

VI. Omnis primogenitus, v. g. vaccæ, ovis, aut alterius animalis, nulla infectus labe, Sacerdoti quondam debebatur; aut argento redimendus erat, neque enim comedi, aut ad servitium ablegari poterat. Ast hoc die utrumque cessat, & abolitum est. Asinus redimi poterat reddendo illius vice Sacerdoti agniculum Exod. 13. 12.

VII. Si quis offendat in agro nidum volucris, cujus usus non est interdictus, in ovis excludendis, aut fovendis pullis assiduæ & occupatæ, matrem avolare permittat, ova autem vel pullos sibi servare potest Deut. 22. 6.

CAPUT XIV.

De Charitate erga pauperes & animantia bruta.

I.

Cum pleraque Judæorum pars magis atque ulla alia gens sub cœlo injuriis, calamitatibusque exposita sit, pauciſſimi illos inter existunt, qui divitum nomine venire aut salutari possunt. Illud ipsum namque, quod possident, vix ac ne vix quidem nomine divitiarum dignum; quare pauci illi, qui opibus abundant, pauperum suorum, quorum non exiguus numerus, indigentiæ subveniunt, omnique tempore, ac qualibet data occasione, auxiliatrices illis porrigunt manus, adeò, ut negari nequeat, maxi-

maximam Judæos erga pauperes suos fovere misericordiam.

II. Ubi sunt emporia, adeunt mendici circa vigiliam Sabbathi aut aliorum dierum festorum solennium ditiorum domos; aut eorum, qui mediocriter à re familiari instructi sunt, quilibet pro viribus suppetias ipsis fert; eodem modo פרנסים vel ממונין * quos imprimis hæc cura tangit, sedulo operam navant, ut singulis septimanis pecuniæ aliquid inter egenos distribuatur; imprimis curam gerunt pauperum verecundorum, viduarum atque ægrotorum, qui sese nequeunt movere ac mutare locum.

* Id est, *ii quibus cura administrationis publicæ commissa est.*

III. Sic de Eleemosynis ac de pecunia, quam suppeditat ministerium in Sacris efflagitatum, quo de monitum Cap. I. certa comparatur summa, qua tenuioribus & humilis conditionis hominibus subvenitur.

IV. Quando agitur de Eleemosynis extra ordinem conferendis, sive in inquilinum, sive in pauperem extraneum, cujus generis sunt, filiam pauperem elocare, redimere captivum, Cantorem jubent Præfecti Synagogæ totum adire cœtum, qui hunc in modum quemcunque religionis suæ socium alloquitur; *Benedicat Deus N. N. qui angustiarum miserrimi hujus rationem habebit.* Die Sabbathi, quum supplex instituitur oratio, fidem suam quilibet, cum nefas hoc tempore argentum manibus attingere, obstringit Cantori, hoc vel illo donario penuriam pauperis sese sublevaturum esse; quod promittitur, nuncupatur נדבה (*donum spontaneum*,) præstitumque

que septimana sequente transfertur in eum, cujus gratia collectæ sunt eleemosynæ.

V. Præterea existunt in civitatibus fama celeberrimis collegia ac distinctæ societates, sedulo operam charitati erga egenos exercendæ dantes; quarum aliæ infirmorum, aliæ defunctorum curam in se suscipiunt. Dicuntur communiter גמלות חסדים, sic datur societas, minimas quasque colligens eleemosynas, nomine צדקה * ita quæ captivos redimit פדיום שבויים, & quæ filias elocat, חסיד בתולות, appellatur: Sic & aliæ adhuc plures, paucioresve, habitâ ratione multitudinis, Judæorum inveniuntur in qualibet civitate societates.

* *Nomen* צדקה (justitia) *eodem pacto Iudæi eleemosynis tribuunt, quo usurpatur Matt.* 6. v. 1. *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.*

VI. Si Judæorum quispiam singulari affligitur inopia, ita ut suorum popularium opibus sublevari nequeat, præcipuos Rabbinorum adit, à quibus schedulam manu ** ipsorum consignatam impetrat, cujus tenor ac summa; *Exhibitor præsentium vir probus & honestus est; caterum quemcunque, ut sibi opem auxiliumque ferat, supplex orat.* Hisce literis instructus quæcunque loca, ubi Judæi commorantur, sive jam sit arx munita, sive prædium rusticum, sive alius adhuc tenuior locus, peragratur, inibique pernoctat, & sustentatur per duos minimum dies; cumque inde iterum egreditur, alia petiturus loca, certa ipsi occurritur pecuniæ summa. In quavis civitate, per quam transit, novum sibi dari curat testimonium; aut, ut primum subscribatur, sollicitat, quocum deinceps ad aliam

** *Ejusdem generis literæ jam à multo tempore inter Christianos quoque locum habuêre.*

aliam tendit Synagogam, fretus nomine & authoritate פרנסים societatum, aut illorum, quorum est illud permittere. Atque hoc modo, prout paulo ante significavi, adjuvatur, ipsiusque desiderium impletur.

VII. * Undique Judæi Hierosolymam versus eleemosynas mittunt ad succurrendum inopiæ istorū, qui illic versantur, precesque fundunt pro salute omnium, quin & alia Palestinæ loca: v. g. Joppen, Tiberiada & Hebronem; ubi Patriarchæ, Abraamus, Isaacus & Jacobus, una cum uxoribus suis, sepulti jacent, beneficiis suis beare & invisere solent.

* *In prima editione hæc desunt.*

VIII. Præter stipem publicitus collectam, cuilibet juxta beneplacitum & pro viribus suis inopum miseriæ subvenire integrum est.

IX. Bene quoque sese locasse operam suam putant, si levamen omnibus etiam iis, qui non sunt ex gente Judaica, neque eandem secum incolunt civitatem, afferant. Credunt enim ita edocti, erogationē eleemosynarum hujusmodi officium humanitatis esse, quod facillime quibuscunque exhibeatur. Inde quoque Doctores nostri claram expressamque ipsius mentionem faciunt, seduloque homines ad eam exhortantur.

X. Nec minori erga bruta animantia commiseratione utuntur Judæi, quæ censent nullō modo duriter ac severe tractanda esse; imo cavent sibi, inferre manus violentas & afficere morte cruenta ullum animalium, utpote quæ agnoscunt manuum divinarum opus esse, juxta illa Psal. 145. v. 9 *Misericordia ejus in omnibus operibus ejus.*

FINIS PARTIS PRIMÆ.

Ceremoniarum & Consuetudinum hodie Judæos inter receptarum

Pars Secunda.

CAPUT I.

De Lingua Ebræa, ejus pronunciatione & scriptura, nec non de Homiliis Iudaicis.

I.

PAucissimis Judæorum integrum est, habere aut recitare sermonem integrum dialecto Ebræa, quæ ipsis dicitur לשון הקדש (*lingua sancta,*) quaque descripti extant 24. Libri V. T. Neque etiam Targumicæ * aut Chaldaicæ linguæ hodie periti sunt, quarum tamen utraque valde familiaris iis erat, cum adhuc peculiarem Reipublicæ formam constituerent. Hoc tempore itaque tantum callent linguam Regionis, cui natales debent. Sic oriundi ex Italia & Germania, Italicè & Germanicè loqui norunt; contra qui nati sunt in Oriente aut in Barbaria Turcarum vel Maurorum utuntur linguâ. Ita nempe Nostri exoticas & peregrinas sibi vendicarunt linguas, ut adeò plures, qui ex Germania in Poloniam, Hungariam, Russiamque secessere, secum tamen

* *Intelligitur nomine Targum interpretatio aut paraphrasis Chaldaica.*

tamen idioma Germanicum in istas regiones attulerint, suisque reddiderint hæreditarium. Judæi Hispani quoque exules facti, sermonem Hispanicum in Orientem introduxerunt; at Itali, populares mei, sermone utuntur, quem à majoribus traditum accepere. Cæterum Plebs, memor & studiosa salutis suæ, satis habet linguæ vernaculæ, cui assueta est nonnulla vocabula corrupta Ebræa injicere & immiscere. Doctorũ numerus apud nos facillimè iniri potest, neque quisquam præter Rabbinos gnarus est, serie continua formare discursum in lingua Ebræa.

II. Quod ad pronunciationem, maximis Ebræa lingua implicata est difficultatibus. Unde est, quod ægrè omnino Germani ab Italis & Orientalibus intelligantur; Præter Italos, qui nitidius & magis convenienter regulis Grammaticæ veræ, quam דקדוק * appellare amant, loquantur, nemo sane est.

* i.e. *Subtilitas. Grammatica enim proprium est minutias & subtilitates excutere & examinare.*

III. Lingua sancta in se considerata, nimium angustis circumscripta limitibus, vocumque pauperrima extat; nil enim veterum scriptorum in hac lingua exaratorum restat, præter 24. Libros V. T. Huc semper recurrendum, petique inde ac hauriri omnia debent. Fatendum interea, Magistros boni publici ergo incrementum ipsius pro viribus quæsivisse, nec parum sane in hoc studio à Chaldaica lingua adjuti sunt: nonnihil & Græca, aliæque Linguæ vicinæ eos sublevarunt. Solliciti iidem & industrii admodum fuerunt, in inveniendis nominibus apprimè convenientibus rebus per ea designatis. In quo genere imitatores habent Scriptores omnis ævi; Imprimis vero sibi hanc licentiam, ut eo melius intelligerentur, sumsere

fere in Philosophiam, aliasque Scientias; unde terminos, quum iis opus esset, mutuo accepere.

IV. Sic quoque in compositione librorum, in contractibus, diariis, in negotiis publicis, aut aliis, stylus Rabbinis usitatus communiter adhibetur; Cum contra in epistolis familiaribus aut negotiis quotidianis usum linguæ regionis istius, ubi commorantur, retineant. Interea dantur, qui & hic sermone Ebræo, quam alia quavis dialecto, uti malunt; quo pertinent Judæi Peloponnesiaci, qui hoc tempore soli fere hoc idiomate in describendis rebus delectantur.

V. Conciones suas in lingua populari proponere solent, ut à quocunque intelligi queant. Loca vero Scripturæ S. æque atque Doctorum sententiæ, hebraicè semper citantur, quorum deinceps in lingua vulgari à Concionatoribus interpretatio subjicitur.

VI. Cuilibet Judæorum verba ad populum facere permissum est; Quicunque igitur munus istud in se suscipere gestit, observat, cum tota concio in Synagoga tranquille sedet; tunc concionator, obvolvens capiti טלית, vel secus, pulpito (quo de superius) incumbit, initiumque dicendi facit, à commate sectionis jam prælegendæ, quæ alias venit nomine נושא (i. e. *subjecti sive argumenti*) cui mox subjungit sententiam, seu dictum aliquod Magistrorum, quod מאמר vocant; hinc subsequitur exordium, depromtum à materia, textui conformi; ipsum textum dein prolixius exponit, plurimaque ex S. Litteris & Rabbinorum scriptis allegat testimonia, servato tamen dicendi charactere admodum diverso & dissimili, pro cujusque nationis indole.

VII. Conciones Sabbatho ac reliquis diebus festis

stis solemnioribus vel omnibus aut plurimis haberi solent, nisi forsan in ipsarum locum succedat oratio in honorem diei emortualis Principis cujusdam ex illustri familia habenda, quæ ipsa tamen communiter differri solet in dies profestos, aut occasione alia data recitari.

CATUT II.

De *Judæorum Studiis & Academiis*; *nec non de origine & contentis Gemaræ aut Talmudis.*

I.

PRo sanctissimo labore agnoscunt, si quilibet pro ingenii sui capacitate Litteris Sacris, earumque interpretationibus incumbat, vi illius, quod legitur Deut. 6. v. 7. *Loqueris de iis, quum sedes domi tuæ & quum ambulas per viam, &c.* Ideo quoque dantur inter Nostros, qui profitentur Cabbalam, seu Theologiam Mysticam alii vero Philosophiæ, ac reliquis scientiis naturalibus, & moralibus operam navant; ita tamen, ut hâc viâ familiarem sibi, facilioremve reddant Scripturæ sensum. Extra hunc casum pernicioßissimum studium Philosophicum, nec cuiquam, nisi filiis Medicorum concedendum esse arbitrantur. Familiarissimum inter Judæos obtinet studium, quod impenditur גמרה, * quin & Talmudi, ubi illud scrutari permissum, opera datur, in quibus enim locis prohibetur, vicem illius supplent libr Sapientum, Paraphrases, aut compendium Talmudis.

* גמרה *Notat perfectionem; est namque supplementum* משנה *seu textus, utpote cujus glossam constituit.*

II. Ideo propter & Academias frequentant, (*dicta* ישיבות, *) ubi ad disputandum Magistri eorumque auditores confluere suevêre; sed multo cum fervore & clamore, nec sine omni ἀλαξίᾳ συζήτησις & haberi & absolvi solet, licet videri posset, argumenta velitationum istarum vehementissimarum non nullius pretii esse. Communiter sub fine precum matutinarum conveniunt exceptis die Veneris, pridiana Festi vigilia, Sabbatho item, ac reliquis diebus sacris destinatis.

* *Qua literam denotat hæc vox sessionem, siquidem auditores & Studiosi in Gymnasiis subsellia occupare & considere solent.*

III. Cumque fundamentum præceptorum omnium ceremoniarum item ac consuetudinum Judaicarum in Talmude situm esse, indeque autoritatem suam habere cognovimus, operæ pretium esse duco in prima ortus ipsius incunabula inquirere, summamque in ipso contentam elicere inde, ac justo percensere ordine.

IV. Primo opusculi hujus capite ostendi, Judæos à Moyse scriptam, à Rabbinis autem oralem legem prioris expositionem cum sylva omnium reliquarum constitutionum accepisse. Has Templo adhuc salvô, scripto complecti, & in vulgus edere, Judæis integrum non erat. Νόμος autem ille ἄγραφος dicta oralis est, eo quod vivâ solum voce tradebatur, & ad posteros mittebatur.

V. Cæterum 26. circiter annum, * à destructione templi, Rab. Juda, ob sanctitatem vitæ alias dictus à Judæis רבנו הקדוש (*Magister noster sanctus*) opi-

* *Sapientes inter se non conveniunt de anno, quo consutum & compilatum est opus Talmudicum.*

opibus præterea abundans, ac familiaris Antonini Pii Imperatoris, quum videret tot disperſiones, exiliaque gentis Judaicæ, tandem ſecum omnino ducere plenariam legis oralis oblivionem, atque neglectum, ſcripto quodam complexus eſt ſententias omnes, conſtitutiones & traditiones Rabbinorum adusque ævum ſuum, & idipſum quidem ſatis compendiosè in libro, cui nomen ** משנה dedit, quem deinceps in V. partes iterum diſpeſcuit; quarum Prima agit de agricultura ac ſeminibus; Altera de diebus Feſtis; Tertia de conjugio, & de iis, quæ concernunt fœminas. Quarta de litigiis, quæ naſcuntur ex dominiis, commodis, totoque negotiorum civilium genere; Quinta de Sacrificiis; Sexta denique de munditie. Enim vero, cum Miſchnajot iſtæ, nimis ſuccinctæ, ac intellectu difficiles eſſent, multis inde contentionibus anſa data eſt, quæ cum augerentur, cupido inceſſit duos Babyloniæ Doctores, quorum alter רבנא, alter vero רב אשי appellabatur, uno colligere volumine omnes explicationes, diſputationes, additiones, quas ad id usque temporis in Miſchnam Sapientes commentati erant. Hiſce ſubjiciebant plures explicationes, ſeu enarrationes, ſententias, & dicta notabiliora, quæipſis erant cognita. Conſtituebant igitur Miſchnam textum; quæ reſtabant, dabant textus explicationem: Hinc natus eſt liber, dictus, תלמוד בבלי (*Talmud Babylonicum*) aut melius Gemara, opus in VI. partes diviſum, quæ communiter appellantur מסכות *ſ. tractatus.* Paucis annis

** *Appellatur à Patribus & majoribus δευτέρωσις, id eſt iterata vel ſecunda Lex. Exhibetque ipſum Textum Talmudicum.*

ante certus quidam Doctor Hierosolymitanus Jochanan opus parile dictum תלמוד ירושלמי (*Talmud Hierosolymitanum*) confecerat; sed cum illud nimis succinctum, stylo præterea vulgari conscriptum extat, Babylonicum merito antefertur, utpote quod prolixius, & ad intelligendum accommodatius est. Et hoc ipsum quoque est, in quod commentarium satis prolixum edidit R. Salomon, vulgo Raschi appellatus, cui collegium quoddam Rabbinorum subjecit תוספות (i. e. *additiones.*) De cætero Babylonium illud in compendium redactum est, imprimis quà tres tractatus, annumeratis illis VI. modo à nobis memoratis, partibus. Siquidem quæ præcipiunt, de agricultura, Sacrificiis, de munditie item, & immunditie, neminem hodiè amplius obstringunt.

VI. Et hostes & defensores sui Papas inter nunquam non habuit Talmud; inde & hodiè imprimis in Italia in catalogô librorum prohibitorum numeratur, ubi nullum ejus vestigium amplius apparet.

CAPUT III.

De Rabbinorum Iudaicorum Promotione & Autoritate, nec non de Excommunicatione.

I.

NOstri non tam absurdi sunt, ut titulum Doctoris affectent, & aucupentur; imo verò desideium eum impetrandi pro vana gloria ducunt: etiam

etiam ad examen neminem cogunt, sed qvando animadvertunt, Sapientum qvendam, eò qvod majores in lege orali, qvam reliqvis scientiis fecerit progressus, dignum esse honore & nomine Doctoris, omnium consensu habetur pro Doctore, diciturqve חכם (*sapiens.*) Ita nempe Orientalium consvetudo fert. Contra in Germania & Italia publicè à Rabbinis, & nomine & ætate præstantissimis renunciatur, qvi vel viva voce, vel de scriptô eum appellant חבר דרב *Collegii Rabbinici socium.* Hic titulus confertur junioribus qvi nondum ita, atqve seniores in variis disciplinis, atqve scientiis exercitati sunt; qvin & titulo מורנו aut רב, *Præceptoris & Magistri*, ornari nonnunqvam solent.

II. חכם aut רב vel מורנו omnis generis lites decidit; fert qvoqve sententiam de iis, qvæ occurrunt circa licita aut vetita, nec non de rebus Ecclesiasticis & Civilibus. Horum Sapientum autoritate matrimonia confirmantur, & celebrantur, divortiaqve permittuntur. Sermones, si donis instructi sunt, ad populum habent, & Academiarum præcipuam curam gerunt; πρωτοκλισίαν in Synagogis, reliqvisqve conventibus sibi vendicant, inobedientes castigant, eosqve cœtu prohibere possunt; Paucis; Summa valent autoritate, & insigni à suis afficiuntur honore.

III. Dum qvendam Anathematis fulmine percutiunt, publicè hoc ipsum intimari solet; qvo facto, nemo Judæorum deinceps sermonem cum excluso ita, & à cœtu prohibito miscere, neqve ad cubiti ferè spatium ad eum accedere debet. Ab ingressu in Synagogam arcetur, cogiturqve denudatis pedibus, ac si in luctu constitutus consangvineorum qvendam morte sublatum amiserit, considere in terra, usqve

dum ab uno, aut pluribus Doctorum remissionem peccatorum, benedictionemqve de novo acceperit, ac impetraverit.

IV. Si fortè singularis qvædam, & solennis obtingat excommunicatio, tota advocatur concio, instituturqve in Synagoga conventus; atratæ præterea accenduntur faces, eiqve, qvi hoc vel illud jam perpetravit, aut minimùm in animo habuit scelus, una voce, pari emissa consensu, dira, infaustaqve exoptantur: ad qvæ integer cœtus suum reponit Amen.

CAPUT IV.

De Juramentis & Votis.

I.

TEmerè jurare, aut unum ex nominibus Divinis in vanum assumere, nullo modo licitum est, juxta illa, qvæ habentur in Decalogo, & cap. 5. Deuter. Pariter nec permissum est mendacium aut fallaciam unqvam committere, conf. Levit. 19. 20. *Neqve jurate per nomen meum ad fallaciam ullam.*

II. Votis itidem sese obstringere, non æqve hodiè atqve olim qvidem in Ecclesia Judaica receptum est. Votum interea qvi edit, solvere illud ipsum, atq; præstare omninò tenetur; Maritus perpetuæ abstinentiæ votum uxoris suæ, utut maximè refragetur, irritum omninò reddere potest, modò de voti sponsione intra 24. horarum spatium ipsi constiterit; Sic Pater votum, qvod suscepit filia nondum elocata, irritum pronunciare aut solvere potest.

III. Simili ratione traditur, si qvisqvam, sive jam viri, sive mulieris nomine gaudeat, juramento vel voto minimè vergente in alterius damnum sese obligaverit, pœnitentia autem ductus id postmodum ob

justas

justas & necessarias rationes deserat, & rescindat, traditur, inquam, posse, qvi istiusmodi vota nuncupaverit, absolvi à summæ autoritatis Rabbinis, vel etiam ab aliis tribus, inferioris licet conditionis, hominibus. Ille itaqve, qvi voto, qvod fecerat solvi se quærit, adire qvendam ex Doctoribus necesse habet, cui dubia sua exponat, aut aliis tribus viris laicis, qvi veritate rationum adductarum probè examinata, cognitâve, tribus vicibus ei acclamare hoc modo tenentur: *Sis absolutus &c.* qvo pacto liber à voto, & prorsus solutus habetur.

CAPUT V.

De Commerciis & Vsuris.

I.

TAm lege Mosaica, qvàm Orali cautum est, & cuilibet injunctum, integritatem, sinceritatemqve servare, nec qvemqvam fallere, sive jam Judæus, sive alius Gentis sit; Propterea convenit diligenter invigilare normæ in mercimoniis cum qvalibet gente instituendis passim in S. Codice præscriptæ, cujus vestigia imprimis legimus Levit. 19. v. 11. ad finem usqve.

II. Fuere qvi & calamo & ore non erubuere strenuè divulgare ac mentiri, Judæos jurejurando nunqvam non ad decipiendum Christianos sese devincire, haberiqve id ab ipsis pro re honesta, omniqve laude digna; quæ accusatio, gravissima licet, tamen non nisi meram sapit calumniam, ideo inventa, ut magis, magisqve animi Christianorum ac reliquorum in Judæos infensi reddantur, & exacerbentur; Longè verò diversum ac planè dissimile ab hoc probro scriptis suis pleriqve Rabbinorum reliquere. Sane ipse Bechai

chai מורנו in tractatu, cujus inscriptio כר הקמח n. 3 gravissimum censet peccatum, qvemlibet mortalium, sive Judæi, sive alterius nationis nomine veniat, defraudare, eique imponere; siquidem factum hoc in se turpe & inhonestum, & post se relinqvit scandalum gravissimum. Denominatur aliàs חלול השם *profanatio nominis Divini*, qvod est peccatorum omnium sane maximum; Quod si aliqvis Judæorum, qvod non nego fieri, inveniatur deceptor, certè piaculū inde redundans non integræ nationi, nisi huic propriè tribui potest; Legi enim Mosaicæ verè addictus, ejusqve sincerus cultor, cum istiusmodi peccato non communicat, qvod novit & lege prohibitum esse, nec ullo modo à Doctoribus permitti.

III. Aliàs veritati consentaneum, Judæos in miserrimo illo statu, in qvem variis exiliis disjecti sunt, qvando nullum planè fundum, aut prædium possidere iis conceditur, omnisque ad negotiandum, ditescendumqve via intercluſa est, animo planè abjecto & depresso esse, adeoqve hodienum ab antiqvo Israelitarum candore & fide multum desciviſſe, & degenerasse.

IV. Id propter qvoqve videntur ea libertate pollere, pecuniam suam fœnori dare, cum hujus gratia pro se allegare queant præceptum ex Deut. 23. v. 20. *Extraneo dabis in usuram, fratri autem tuo ne dato in usuram.* Per extraneos Judæi non possunt intelligere nisi septem populos, Cithæos sc. Emoræos, Jebusæos &c. qvos Deus qvondam ad internecionem usque delere jusserat. Enimverò cum plerique Judæorum inopia premantur, neque, qvomodo miseram sustentent vitam, inveniant, licitum sibi omninò

mninò esse judicant, fœnerari, & fratribus naturalibus pecuniam dare. *

* *Cum agros jure hæreditario possidere, sibique vendicare prohibeantur Judæi; iis tamen omninò vivendum sit, credunt, rationem usurarum in jure naturali aliàs fundatam & radicatam, ob modo dicta abolitam esse, suumque accepisse complementum. In prima editione & ista lego: Quum non cum iis ipsis velut cum fratribus Germanis plerumque, uti quidem decebat, agatur.*

V. * Loca itaque, in quibus Magistri usuras concedi prohibent, non possunt accipi, nisi de septem populis, qvorum paulò ante mentio facta est. Ratio in eo sita, quia semper hi abominatione digni judicati sunt in S. Literis: quæ ipsa tamen minimè extendi debent, aut interpretanda sunt de gentibus, à quibus Judæi hodie tolerantur, & ubi clementer satis à Magistratu & Populo, imprimis inter Christianos, accipiuntur: secus enim si fieret, injuria non solum legi scriptæ, sed etiam naturali fieret.

* *Deest hæc tota paragraphus in prima editione Venetiis impressa; Unde studio postea videtur fuisse adjecta.*

CAPUT VI.

De Contractibus, Literis, Testibus, Judicibus & Judiciis.

I.

* Licitationes, pactaque omnia censentur rata, si quidem partes contrahentes vestimentum vel suda-

sudarium testium tantum contrectarint, quod genus jurejurandorum aliàs venire solet nomine קנין סודר quod idem est atque *acquisitio Rei beneficio vestimenti facta.*

* *Integrum hocce caput deest in prima editione.*

II. Scribæ, publica aliàs autoritate constituti, nullius sunt apud Judæos momenti, nisi forsan quis Scribæ cujuslibet vulgaris munus sustineat; tunc enim idem valet ac testis, duosque alios sibi adjunctos habet comites, quibuscum adornat, validosque reddit omnis generis libellos, v. g. de mercimoniis, testamentis, connubiis, divortiis, aliisque negotiis.

III. Ut autem hujusmodi libellis omni loco & tempore autoritas concilietur, fidesque adhibeatur, porrò necesse est, trium quorundam, qui ab hoc actu judicum nomen adipiscuntur, examini subjiciantur illi.

IV. Ad præstandum testes idoneos, ne quid in iis desideretur, prius examinandi sunt, præsentibus reo, aut parte adversa.

V. Ad litigia, quæcunque tandem sunt componenda, ubicunque ferè Principes Rabbinorum constituuntur Judices. Solent quoque litigantes inter se convenire de seligendis arbitris, ex amicis, quos habent communes.

VI. Causas ac lites decidunt Magistri ex *חשן המשפט, aut ex Synopsi casuum & eventuum tractatus, cujus inscriptio habet, שאלות ותשובות quorum librorum summam, maximam partem, exhibet cap. 21. Exod. Cujus initium ita sonat: *Hæc autem sunt judicia illa, quæ propones eis* &c. adde ulterius ea, quæ sequuntur ad usque finem cap. 23. nec non cap. 22, 23, 24.

23, 24, 25. Deut. ad quæ tamen recte illustranda, temperandaque moderata, ac prudens accedat, opus est, judicum interpretatio, pro re nata nempe, & circumstantiarum ratione habitâ.

* *Pectorale judicii: ita scilicet denominatur tractatus quidam Nobilissimus, in quo de Iure apud Iudæos usitato agitur.*

VII. Quod ad Jus Vitæ & Necis attinet, totum illud arbitrio Principis, cujus præsidio & tutela gaudent, relictum est; siquidem Doctorum autoritas eos tantum attingit, qui ob ceremoniarum violationem anathemati subjecti sunt; ulterius namque sese non extendit, prout jam superius cap. 3. Part. 2. à nobis annotatum est.

CAPUT VII.

De Cibis omnimode prohibitis, Judæorumque comedendi ratione.

I.

MInime licitum est, comedere carnem bestiæ quadrupedis, nisi ruminetur, unguibusque bifidis sit armata, quo pertinent vacca & ovis. Verum de cuniculo, lepore & porco plane abstinendum. Porro etiam nec pisces, squamis aut pinnis destituti, nec aves raptu viventes, neque reptilia comedenda sunt, quemadmodum hoc ipsum prolixe satis deductum est Levit. 11.

II. Pari ratione neque cibis vescuntur per alios, quam per Judæos, decoctis, neque ad eos præparandos utuntur vasibus coctilibus ad extraneos pertinentibus; metuunt namque humore ciborum sibi interdictorum imbuta ea esse. conf. cap. 3. Part. 1. Sic etiam neque cultris aliorum utuntur.

III. Abs-

III. Abstinent similiter ab adipe bovis, agni & capræ; prout id sub fine cap. 3. Levit. consignatum extat. Sic quoque sibi cavent à coxæ nervo juxta ultima cap. 32. Genes. Hinc quoque est, quod accuratè, summoq; studio mactando norint ab adipe & nervo liberare animantia sibi in escam concessa, ac data. Et sane in permultis Italiæ locis, inprimis verò in Germania, pleraque pars non comedit de animantium posteribus, qvum illic præcipua adipis & nervi sedes occurrat, quæ proinde adimere cum summa requiratur industria, paucos hîc, ut decet, officium suum juste exequi putant.

IV. † Porrò nullius quadrupedis, nec avis sanguine haurire; imo, ne ovum quidem exsorbere aut deglutire licet, in quo nempe vel minimum sanguinis vestigium apparet; hinc forsan fluxit interd. tum de non comedenda bestia quacunque terrestri, nisi prævia jugguli excisione. Omnis enim sanguis ante removendus est.

† *Lev. 17. v. 10. &c.*

V. Qvando animal quoddam jugulandum, munus istud ob multas difficultates, circumstantiasque ei, qui actus hujus peritissimus, demandari solet: siquidem tempus huic actui vel maximè conveniens ac idoneum observari debet; cultro item, cote bene subacto opus est illi, cui munus mactandi impositum, ut sanguis eò citiùs, & sine interruptione manare possit, quem ipsum in cinerem, aut terram subjectam defluere patiuntur, unde demum absorbetur & obruitur.

VI. Illicitum omnino, membro quodam defraudare animal adhuc vivum, illudque sive crudum, sive decoctum ori admovere. VII. Uno

VII. Uno, eodemque die vaccæ ac vituli ab ea prognati jugulum ferire, minimè concessum est. Pari ratione quoque comparatum cum ove & caprea, harumque fœtu, modo quis ejus notitiam accuratam habere potest.

VIII. Si brutum, vel avis ex iis, quæ comedere licet, mortem naturalem obierit, aut alio mortis violentæ genere, quam illo, quo de modò diximus, afficiatur, carnem ejus degustare minimè licet.

IX. Si factâ accuratâ & diligenti inspectione sentis vel acus in avibus jugulatis, unde vulnus accepere, deprehensus fuerit, aut abscessus in quadrupedibus appareat, vel si pulmones vitio quodam laborent immundæ judicantur. vide sis quæ extant cap. 23. v. ult. Exod. & alibi passim.

X Animantis adhuc viventis os quoddam si fuerit contusum, & quidem in membrorum quodam, per Doctores declaratorum, aut si jumentum quoddam plagam lethalem inflictam habet, à comestione istius prorsus abstinendum.

XI. Ut eò melius mandatum de sanguinis abstinentia, quo de paulò ante, executioni dari possit, carnem per integram horam sale probè condiunt, antequam ollæ injiciatur, ut omne cruentatum eò facilius effluere & exstillare queat. Sic & caro, nisi prius probe inassata fuerit, comedi nequit; Hepar etiam sanguine turgens carbonum ignitorum operâ exquisitè ante subigi debet, quam liquori cuidam incoqui possit.

XII. De Piscibus Judæis minimè denegatis nil planè observatu dignum occurrit, ipsorum namque sanguis non est vetitus; neque mortuos, aut labe notatos, ullibi legitur rejiciendos esse.

XIII. Unâ,

XIII. Unâ eâdemque mensâ simul carnem & caseum, aut lac apponere iisque vesci, prorsus interdictum est; qvum dictum Exod. 23. v. 10. *Non coques hœdum in lacte matris sua*: qvem locum Nostri de omnis generis animali, lacteqve explicare solent. Præterea admodum cavent, ne cibus juxta eum materia lactea, sive jam decocta, sive adhuc cruda, commisceatur, atqve ita deinde præparetur. Nec qvoqve unâ eâdemqve horâ, de carne & caseo participant; metuunt namqve, ne qvid cibi residuum dentes inter relinqvatur, qvocum forsan caseus misceri posset; hinc esum casei aliqvantisper præmittere solent.

XIV. Unde porrò est, qvod utensilia carni semel adhibita lacticiniis postea inservire neqveant, imprimis cùm qvodlibet istorum suam sibi inustam, vel incisam habeat notam. Sic & diversis in comestione carnis & lacticiniorum utuntur cultris; Si forte fortuna unum ex recensitis modo ferculis præparatum alterius utensile occupet, eiqve immittatur, non solùm non comeditur, verum etiam, si vas illud testaceum est, nullus posthæc illius usus est.

XV. Abstinent à caseo, qvem ipsi non viderunt concrescere, aut coagulare; metuere enim necesse habent, ne admixtum fuerit lac alterius animalis, lege divina prohibiti; aut pellis aliqvid cum lacte concreverit, qvo casu pro carne & caseo censeri poterat; aut ne coagulatio facta sit in lebete destinato coctioni alterius cibi immundi; qvare caseo, qvem coagulatum vidêre, signum qvoddam, qvo faciliùs dignosci possit, imprimere solent.

XVI. Est qvoqve concluſum, & sententia Rabbinorum, non debere simul eadem vice apponi carnem & pisces: Multum enim periculi sanitati inde metuen-

tuendum esse putant; verum ista subtilitas hodie non attenditur, & penitus in desvetudinem abiit.

CAPUT VIII.

De Potu.

I.

DAntur Sectatores Rabbinorum antiqvorum, asserentes, non licere Judæis bibere vinum, aliorum ministerio collectum, expressumqve, cui qvidem Decreto Orientales & Germani strictè obedientiam præstant: Itali contra minimè sese huic interdicto astringi patiuntur, prætendentes, Rabbinos hocce concluso respicere idololatras, apud qvos tum temporis commorabantur, quibuscum ne communicarent sui, meritò Doctores obicem ponebant; Minimè verò valere admonitionem de Gentibus, qvibuscum hodienum versantur Judæi, utpote qvas ipsi Doctores liberas ab omni idololatria pronunciarint.

II. Aliis præterea in bibendo delectantur ritibus: ita v.g. non insolens iis est, ab initio & sub fine cujuslibet Festi, in conviviis nuptialibus item, nec non in solennitate circumcisionis & alibi, Scypho, vino pleno, primum benedicere, qvem deinde ebibunt, nec omittunt tam ante, quàm post evacuationem poculi recitare gratiarum actiones; maximi namqve faciunt hunc liqvorem, qvum alicubi dicatur: *Vinum cordi humano multam inducere lætitiam*; & alibi, eidem liqvori virtus, concitandi Deum & homines ad lætitiam, tribuitur.

CAPUT IX.

De Modo conficiendi Panem.

I. EX qvo panis subigendo probè maceratus est: id est, qvum massa farinaria adinstar magnitudinis

nis qvatuor ovorum seſe habeat, pauxillum inde accipitur, qvod dat placentam loco primitiarum offerendam, quibus de monetur Num. 15. v. 20. *Primitias cujusque massæ vestræ collyram offerte in oblationem* &c.

II. Mos olim obtinebat, sacrificulum hujusmodi donare placentis, qvæ hodie tamen igni injiciuntur, atque adeò totæ absumuntur.

III. Uxoribus Judæorum communiter incumbit panem, & depsere, & præparare: estque hoc unum ex tribus illis, mulieribus ad observandum traditis, præceptum.

CAPUT X.

De Consvetudine in Mensa observanda.

I.

ANteqvam accumbunt, tenentur exqvisitè manus lavare, in qvo ritu tradendo Doctores æqvè accurati sunt, atque in eo, ubi mane eædem ablui jubentur. Conf. cap. 7. P. 1.

II. Ex qvo accubuere, Ps. 23. *Iehovah Pastor meus est*, recitant: Deinde Paterfamilias integrum panem manu sua acceptum, præmissa gratiarum actione, frangit, ac inter istos, qui mensæ assident, ipsum distribuit, dando cuilibet frustum haud excedens magnitudinem olivæ, hoc facto convivæ pro lubitu, animæque suæ desiderio comedunt. Poculum etiam, qvando primâ vice ori admovent, recitare coguntur gratiarum actionem, qvâ de superius cap. 9. P. 1.

III. Methodum & rationem comedendi multis consignarunt Doctores, datis hoc fine regulis morum formandorum gratia præscriptis: ita præcipiunt panem

nem pedibus non conculcandum, neque in humum projiciendum esse; Similis, etiam volunt, habeatur ratio reliquorum ciborum, ad manducandum appositorum, nec contemnantur dona divinitus data & concessa.

IV. Prandio ad finem perducto, manus rursus abstergunt, reconduntque cultros, quum mensam altaris vicem gerere, ejusque sustinere notionem pro certo iis creditum sit; super altari autem ferrum agitandum non erat. Plurimi eundem Psalmum, quem Levitæ eadem septimanæ die, quo horum conventus agitatur, antiquitus publice in templo recitabant, precari soliti sunt, addito Ps. 67. *Deus gratiam faciat nobis, &c.* Si adsunt tres aut adhuc plures, qui unà convivium celebrarunt, unus ex iis Scyphum benè politum, vinoque repletum sursum elevat, dicens: *Gratias, O mei, agamus illi, qui nos tam magnifice, lauteque cibavit*; cui reliqui accinunt: *Omnino benedictus sit ille, cujus benignitate cibo tam laute modò recreati sumus.* At prior adhuc perseverat in gratiis DEO agendis, eumque supplex orat, subministret porro pro bonitate sua cuilibet hospitum vitæ necessaria, cumque olim majoribus ipsorum jure hæreditario possidendam dederit terram promissionis, ideo Hierosolymæ restaurationem precatur. Ad ultimum Paterfamilias iterum benedicit, & pro pace preces fundit. Tum verò cuilibet pauxillum vini è calice suo propinat, ipse autem, quod superest, ebibit solus.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

Ceremoniarum & Consuetudinum hodie inter Judæos receptarum

Pars Tertia.

CAPUT I.

De Sabbato.

I.

SAbbatum inter reliquos dies summa Judæi prosequuntur veneratione, eo quod statim à creatione institutum, ac passim in sacris litteris, inprimis autem in Decalogo, ejus fiat mentio; Utpote in quo ab omni plane opere hoc tempore abstinendum esse docetur. Contra vero quies & recreatio homini injuncta est.

II. Omnia negotia, à quibus Judæi necesse habent cavere sibi die, quo celebratur Sabbatum, revocarunt Magistri ad 39. capita, una cum adjunctis speciebus & circumstantiis, sunt vero: Laborare, serere, metere, colligere & colligare spicarum fasces, excutere frumentum, ventilare, cribrare, molere, incernere farinam, pinsere, tondere, pectere, coquere, nere, intexere, stamen ordiri, pannum contexere, colore imbuere, ligare, solvere, consuere, discerpere aut dividere aliquid in partes minimas, ædificare, destruere, malleo percutere, venari aut piscari, jugulare, corio exuere, præparare ac deradere pellem, eam-

eamque dissecare, ut operæ postmodum inserviat, scribere, delere, præscribere, ignem accendere, eumque iterum extinguere, rem quandam ex privato in publicum transferre locum; ista sunt rerum Sabbato interdictarum capita summa & præcipua, quæ diversas alias involvunt species; Quemadmodum, limâ aliquid detergere species est actus comminuendi farinam, quandoquidem utriusque operâ integrum aliquod corpus in minimas redigitur particulas: Sic lac coagulare convenit cum actu ædificandi, cum utriusque beneficio plura in unum & adunum constituendum colliguntur. Hujus generis adhuc alia dantur momenta, subtiliter satis explicata atque excussa secundum omnes circumstantias suas à Legis, rituumve interpretibus atque Doctoribus.

III. Minime licet hôc die ignem aut accendere, aut extinguere, juxta illud Cap. 35. v. 3. Exod. *Ne accenditote ignem in ullis habitationibus vestris die Sabbati.* Tantò vero cum rigore præceptum istud observandum est, ut non liceat contrectare lignum, neque accendere illud, aut suscitare ignem. Interdictum itidem, lampades accendere aut extinguere. Qui commorantur in regionibus aquilonaribus, cum hypocaustis utantur, ignis opera calefaciendis, alienigenorum ministerio ad hoc uti possunt, aut efficere, ut ignis latitans sui ipsius opera in flammam facillime erumpat. Hisce verò mediis deficientibus frigus sustinere, atq; tolerare omninò tenentur.

IV. Inde porrò, & quod nil ciborum foco aut igni Sabbato apponi debeat, neque licitum comedere ea, quæ hoc die decocta, nata, aut terræ cultu producta

V. Ita vetitum, humeros oneri portando subjicere, corpori item quicquam indere, præter vestimenta necessaria, & quæ huc pertinent; quod enim superadditur, oneris nomen meretur ac sustinet. Hic rigor, severitasque legis, adusque feminarum ornamenta, infantes quoque, domesticos, ipsaque jumenta sese extendit, quemadmodum hoc ipsum expressum est in decalogo, ubi ita Legislator, Ex. 20. Deut. 5. *Ne facito ullum opus aut filius tuus, &c.*

VI. Præterea non convenit de negotiis secularibus, aut de qualicunque mercium pretio sermones miscere; quicquam item in negotio emtionis aut venditionis decernere: tum neque dare, neque accipere, qualecumque etiam siet, licet die Sabbati, vi verborum, quæ extant Es. cap. 58. *Si averteris à Sabbato pedem tuum, &c.*

VII. Pariter non licet, digito contingere ponderosa; aut applicare instrumenta artificum; aut quicquam illorum, quæ facere in Sabbato prohibita sunt.

VIII. Jus habent Judæi hoc tempore milliare unum, quod constat duobus millibus passuum extra urbem, * vel per vicos obambulando, conficere.

* *Judæis integrum est, tantum spatii, quantum ipsis placuerit, quolibet Sabbato pedibus emetiri, & peragrare, modo sese intra suburbia civitatis, quam incolunt, contineant: suburbia namque civitati adhuc annumerant; quoties igitur hoc die egrediuntur è porta civitatis, ab extrema suburbii ora iter, quod per legem absolvere possunt, supputare solent.*

IX. Ad inhibendum labores opificum, commerciaque die Sabbati, sapienter utique Doctores decretis

cretis suis præcavere: Inde rebus vetitis modò indicatis majorem adhuc addidere numerum, quo pertinent: Ne quis manu argentum tractet; non equo aut navi vehatur; non canat fidibus; non balneum frequentet.

X. Erga ægrotos & infirmos, Chirurgorum operam efflagitantes, hoc die non adeò benignos sese præbent Doctores; sed in hoc casu ad Medici Judicium & conscientiam provocare solent; si enim ille periculum subesse asseverat; aut si mulier jam jam laborat, & occupata est in fœtu edendo; omnia permittunt.

XI. Die Sabbathum proximè antecedente solliciti sunt in promtu habere ea, quæ ad Sabbathum ritè celebrandum necessariò faciunt; quo referenda illa Mosaica. *Et erit die sexto, &c.* Omni quoque sanctimonia & reverentia sese hunc diem prosecutos esse credunt, multos si in ejus festivitate faciant & impendant sumtus; sic enim impletum iri putant illud: Esa. 58. *Et honoraveris ipsum, &c.* quò cum honore pugnare pro certo habent, si quis rebus abjectis studium suum addicat; aut iis, quæ ipsius dignitate longe inferiora sunt.

XII. Nullum facilè suscipiunt negotium die Sabbathum antecedente, quod non, antequam quidem tenebræ ingruunt, absolvi queat. Cibum die sequente capiendum paulo ante Solis occasum in locum calidissimum reponunt, quo facto omne opus cessat, daturque in qualibet civitate monitor quidam ad hoc constitutus, ut voce clara, aut signo quodam in sensus incurrente, dimidia fere horæ parte, ante initium Sabbati significet; desistant nempe ab opere, cum jam adsint primordia Sabbati.

XIII. Semihoram circiter, priusquam Sol occumbit, Sabbati initium fieri judicatur, & consequenter à rebus prohibitis abstinetur; tum verò fœminarum debitum est, lychnum olearum, sex communiter aut quatuor minimum constantem fistulis, ordinare & instruere, quo conclave maximam partem noctis illustratur & illuminatur. Eædem mensæ mappam quandam indunt candidam, panem deinde super imponunt linteo alio oblongo quidem, at perangusto & nimium coarctato involutum; quod in memoriam panis cœlestis, Mannæ scilicet, à se peragi ajunt, utpote quæ olim per totam septimanam, Sabbato excepto, hac facie, roscidâ nempe ab utraque parte superiori & inferiori, defluebat & cœlitus donabatur.

XIV. Nonnulli, qui majori reverentia Sabbathum auspicari videri volunt, candidô quodam linteolô manus & faciem abstergunt. Hinc adeunt Synagogam, ubi secum recitant Ps. 92. *Bonum est celebrare Iehovam*, cum reliquis consuetis precibus; quibus adduntur illa Mosaica Gen. 2. *Itaque perfecti sunt cœli, &c. & benedixit Deus diei septimo, &c.*

XV. Sacris finitis quilibet propriam domum repetit, sibique invicem in occursu faustum felixque Sabbatum, nullo alterius generis voto addito, apprecantur. Adhæc Patres liberis, Præceptores autem discipulis suis benedictionem impertiunt. Adjiciuntque quidam, ad majorem Sabbatho conciliandam venerationem, certa Scripturæ dicta, alii ante, alii post mensam, pro cujuslibet loci consuetudine.

XVI. Quilibet Paterfamilias mensæ assidens, ma-

manuque tenens pateram vino repletam recitat ista Gen. 2. *Itaque perfecti sunt cœli, &c.* Grates deinde refert DEO pro Sabbathi institutione, & poculo, quod manu tenet, benedicit; cum bibit, omnibusque secum epulantibus pauxillum propinat, recensendo simul Ps. 23 *Iehovah Pastor meus est.* Idem deinceps & pani benedicit, atque de hoc inter omnes, qui adsunt, distribuit: tum quilibet & vespera præsente atque postridie pro lubitu & beneplacito lautissime epulatur. Cœna absoluta, manibusque purgatis aqua id præstant, quo de superius à nobis dictum Cap. 9. P. 11. Nonnulli & Ps. 104. *Benedic anima mea Iehovæ*, precari secum solent.

XVII. Sabbato in multam lucem dormire solent, cumque Synagogam frequentant, multos decantant Psalmos, additis quibusdam singularibus precibus, una cum reliquis ordinariis. Pentateuchus quoque, imprimis lectio illa, quam ordinis ratio requirit, à septem viris nominatim ad hoc delectis prælegitur. Hanc excipit lectio vaticinii cujusdam, quod convenit cum dicta modo Legis sectione, diciturque * הפטרה, ac solet prælegi à puero quodam, animi causa & exercitii ergo.

* הפטרה *dicit abeundi veniam, eo quod absoluta vaticinii lectione quilibet discessum parat, & ad abeundum sese accingit. Exactè convenit & repræsentat actionem sacram nostris moribus conformem, cui Missa nomen, quæ idem prorsus significat.*

XVIII. Præterea qui Legis librum manibus & brachiis amplexum tenet, istum in altum sublevat, omni-

omnibusque ipsum circumdantibus benedictionem impertit.

XIX. Sequitur porro solemnis quædam pro Principe, in cujus ditione, cujusve indultu sacros instituere conventus Judæis permittitur, gratiarum actio: Videlicet contendunt à DEO, patiatur Principem in pace perpetuâ, gaudioque diuturno transigere vitam suam, & ut feliciter omnia ipsi, atque ex animi sententia fluant; Largiatur insuper, ut majora indies dominium ipsius capessat incrementa; hanc denique mentem ipsi concedat, ut benevolentia, clementiâque gentem Judaicam complectatur. Hisce cum convenit illa Jeremiæ commonitio, Cap. 29, 7. *Quærite prosperitatem civitatis ipsius, quo deportavi vos, & orate pro ea Iehovam; nam in prosperitate ejus futura est vobis prosperitas.* Adjiciunt alias præterea preces, quas appellant מוסף; quibus continentur verba in oblatione sacrificiorum, Sabbato quondam exhibitorum, adhibita, quibus ipsis etiam absolvitur & concluditur integer actus sacer.

XX. Promiscuè sine loci ac temporis delectu, vel mane, vel à cibo assumto, vel etiam in aliis congregationi destinatis locis conciones habentur, argumento desumto ex textu Pentateuchi isto die prælecto. Docentur hîc, ac instillantur virtutes; vitia contra corripiuntur & castigantur; scitèque ubique Rabbinorum dictis, velut tot gemmis, interdistincta oratio est. Conf. cap. I. P. II.

XXI. Vesperâ adventante Synagogam repetunt, in qua, præter preces usitatas, Sabbati adornatur commemoratio: à tribus porrò recitatur initium sectionis;

nis, legi alias solitæ in ista, quam jamjam ingrediuntur, hebdomade.

XXII. Consuetudine velut lege cautum est, cibum tribus vicibus intra spatium 24. horarum Sabbaticarum capiendum esse. Sic die, Sabbatum proxime antecedente, peractis precibus vespertinis, primam adimplent vicem, postridie autem binis reliquis satisfaciunt: mappa interea toto isto tempore mensa exornata conspicitur.

XXIII. Nocte appropinquante, visisque tribus modo mediæ magnitudinis sideribus, jamjam ad finem properasse judicatur Sabbathum; atque adeò patet iterum reditus ad pristinos labores. Sed ne fiat, prohibent, moramque injiciunt preces vespertinæ, utpote quæ conatum interrumpunt, omniaque anticipant negotia.

XXIV. Similiter adjungunt precibus vespertinis mentionem sanctitatis hujus diei, & quomodo differat à reliquis diebus profestis, concluduntur que ex Ps. 91. *Considens in latibulo excelsi, &c.* Subjunctis pluribus aliis è S. codice depromtis sententiis.

XXV. * Cum hucusque pro certo & comperto habeant, animas damnatorum in inferno & purgatorio stante Sabbato à pœnis & tormentis immunes esse; hinc precibus atque hymnis suis recreationis istius momentum, qualecunque etiam sit, protrahi quodammodo credunt.

* *In altera editione prorsus deest paragraphus præsens.*

XXVI. Domum repetentes cereum accendunt, aut lampada, cui duo minimum sunt igniarii fomi-

es ſ. ellychnia. Poſtea accipit Paterfamilias manu ſua calicem vino repletum, & varii generis, ſuaviſſimique odoris aromata; cumque dicta nonnulla Prophetarum recitavit, v.g. illud Pſ. 116. *Poculum omnis ſalutis acceptum exhibeo, &c* nec non Eſth. 8. v. 16. *Judæis erat Lux & lætitia, &c.* una cum aliis, hunc quidem in finem, ut hebdomade jamjam inſtante omnia ex voto animique ſententia ſibi fluant, proſpereque cedant, tum demum vino, aromatibus, ipſique odori benedicit, adeoque ita cum ſumma delectatione nova inchoatur hebdomas: fulgori item atque ſplendori ignis, cujus aliquanti per inhibitus erat uſus, benedicit; quin & digitos ac ungues ſuos intuetur, quo ſignificatur, ad priſtinum laborem iterum parari reditum. Cæterum quæ modo retulimus prolixius omninò in ſcriptis Doctorum noſtrorum expreſſa, deductaque occurrent; Huc tamen tandem omnia tendunt, ut innuatur, Sabbatum finem ſuum aſſecutum, diſtinctumque eſſe à reliquis inſequentibus diebus profanis; Omnem hanc actionem ceremoniamque vocant הבדלה, (id eſt *diſtinctionem ſeu ſeparationem.*) Solent autem nonnulli hoc ipſo tempore in terram vinum effundere, ad indicandam inſignem animi ſui lætitiam. Penes alios moris eſt, Pſalmos & loca quædam è S. codice hauſta decantare: Hoc nempe fine omnia iſta fiunt, ut feliciſſima ſient auſpicia hebdomadis jamjam appropinquantis.

XXVII. Tempore Veſpertino Sabbati obviam ſibi facti, minimè felicem vel veſperam, vel noctem ſibi apprecantur: verùm hac utuntur formulâ; *Proſperam, fortunatamque tibi Dominus concedat atque largiatur ſeptimanam.*

CAPUT

CAPUT II.

De Noviluniis, Menſium nominibus, iſtorumque intercalatione.

I.

AD curſum, motumque Lunæ Menſes Judæorum deſcribuntur, & Novilunium menſis cujuslibet initium conſtituit.

II. Cum adhuc vigeret Hieroſolymæ סנהדרין, i.e. *publicus Senatorum, judicumque conſeſſus,*) duobus viris, hujus gratia ſpeciatim electis, injungebatur, ut quam primum prima Lunæ facies appareret, id illico ſignificarent; quippe pro horum fide menſium numerabatur principium, diesque feſti conſtituebantur. Enim vero ex quo Templum ſolo æquatum, dirutumque eſt, ope ſubductionis rationum id ipſum præſtant; typis namque exſcribi curant Calendarum, quo ſuis novilunium & plenilunium quatuor itidem anni tempeſtates, dies porro ſolennes, aliaque huc ſpectantia innoteſcant, atque in memoriam revocentur. Quin & feſta Chriſtianis uſitata in ſuis obſervant faſtis, cautionis in negotiis adhibendæ ergo, quæ Judæis cum Chriſtianis intercedunt.

III. Diebus ſacris Novilunium annumerari ſolet, prout videre eſt Num. 10. v. 10. & vel inde conſtat, quod hoc ipſo die, ut docetur Num. 28. v. 11. novum aliquod in honorem Numinis antiquitus immolatum fuit ſacrificium; reſpondet nonnunquam hoc feſtum duobus diebus, finiſcilicet unius, & principio alterius diei. Laboribus conſuetis operam navare, munusque ſuum expedire, minime interdictum eſt.

Mulieribus verò remittere ab industria, huic sexui propria, liberiusque delicias sectari, suoque indulgere genio permittitur.

IV. Primi diei mensis memoriam injiciunt in precibus suis, lectitantque inde à Ps. 113. usque ad Ps. 118. Pentateuchum quoque quatuor ad hoc officium delecti viri recitare solent, quibus omnibus subjungitur oratio מוסף; * nec non sacrificiorum hoc die quondam peractorum ἀνάγνωσις.

* i. e. *Epimetron, quod nos in sacrô officio ita reddere solemus: memoriam festi cujusdam celebrare.*

V. Ipsa Sabbathi vespera, quæ lunæ innovationem sequitur, aut etiam alio quocunque tempore, quum advertitur cornuta Lunæ facies, universa concio unanimiter preces mittit ad DEUM, honorando ipsum nomine Creatoris Planetarum, noviluniique restauratoris. Eadem verò deinde, corpora sua cœlum versus elevando, supplex orat, immunem ipsam præstare velit provida Patris cœlestis cura ab omni fortuna adversa; Celebrataque memoria Davidis Regis, valedicunt sibi invicem atque discedunt ad unum omnes.

VI. Menses suas numerare incipiunt Ebræi à תשרי; qui est idem atque September noster, pergendo ita ad reliquos quorum nomina sunt; חסון October; כסלו November; תבת December; שבט Januarius; אדר Februarius; ניסן Martius; אייר Aprilis; סיון Majus; תמוז Junius; אב Julius; אלול Augustus. Cæterum de his inferius, ubi de primordiis anni agetur, prolixior dabitur dicendi campus.

VII. Ad

VII. Ad æqvandum annos Solares ipsis Lunaribus qvamlibet revolutionem ad 19. annos revocant, qvorum septem absolvuntur 13. mensibus; ita qvidem, ut qvandoqve biennio, qvandoqve triennio locum inveniat ejusmodi annus intercalaris, 13. constans mensibus, qvem alias appellant מעוּבּר (*intercalatum*) ejusmodi qvid verò cùm contingit, bis supputationi subjicitur mensis אדר; locaturqve Februarium inter & Martium menses, qvo pacto geminatur אדר, dicturqve Adar primum & Adar secundum, vel ראשון ואדר.

CAPUT III.

De Paschatis Festo.

I.

DEcimo qvinto mensis ניסן, qvi sæpenumero cum Aprili convenit, primus incidit dies Festi Paschatis, qvod ita denominatum est à פסח (*transitu*,) eaqve memoria egressus ex Ægyptiaca servitute celebratur per integram hebdomadem. Verùm, qvi extra Hierosolymæ, atqve Judeæ fines peregrinantur, more majorum per octo dies religiosè illud colunt, qvum nempe adhuc per Decretum Senatus supremi, sine rationum subductione, sacra Novilunii determinarentur. Vid. paulò ante dicta, cap. præced. Festi hujus solennitates cæteroqvin accuratè & descriptas, & determinatas legere licet, cap. 12. v. 14. Exodi, passimqve alibi.

II. Primis duobus, binisqve ultimis diebus omnia ejus solennia, justaqve servantur, nec laborare, aut ulli negotio sese implicare, æqve atqve Sabbato, concessum est; Licet interea suscitare ignem, escam præparare, ac, necessitate ita jubente, aliqvid ex uno loco

in alium transferre, reliqvis qvatuor diebus interjacentibus labore qvidem sese exercere interdictum; pecuniâ autem negotiari minimè. Ut a deo hos inter, & dies alios, qvi nullam prorsus sanctitatem habent, differentia qvædam relinqvatur, respectu rerum certarum.

III. Festo hoc durante, nec pane fermentato vesci, nec qvicqvam illius secum gerere, aut domi alere licet; panis azymus itaqve tantum Judæis comedendus est.

IV. Majoris devotionis ergo summo ædes suas studio perscrutantur, omnesqve domus angulos, cistas & armaria, ad eliminandum inde vel minimam particulam, qvæ sapit fermentum. Itaqve tum exactè repurgatis ædibus tectorium rursus inducunt, vasibusque ad mensam & culinam spectantibus, vel planè recentibus, aut aliàs nunqvam, præter hos dies adhibitis, eas instruunt; Sit verò, vasa ista jam tum culinæ aut mensæ inserviisse, nulli sanè usui ad hanc qvidem solennitatem ritè peragendam ampliùs futura sunt, nisi forsan constent ex metallo; qvod ad ustrinam iterum revocari, probèqve expoliri debet, istum enim finem superstitiosa illa intendit cura, ne vasculum aut aliud usurpetur utensile, qvod fermenti vel tantillum fovisse, probari potest. Hinc etiam Paterfamilias vespera, pridianam Paschatis vigiliam antecedente, anxiè perreptat, ac studiosè rimatur omnes domus angulos, ad removendum, si aliqvid adhuc fermenti supersit. Abhinc hora undecima diei proximè inseqventis omnis incendio absumitur panis, qvo significatur, cœpisse modo præceptum de non comedendo pane fermento infecto. His factis habentur preces, quibus significat Paterfamilias, nil fermenti

menti amplius restare in re familiari, ad se qvidem spectante; minimùm credere se, nihil eorum, qvæ huc facere poterant, intermissum esse.

V. Illicò deinde dilabuntur ad panes azymos conficiendos, quot qvidem festo durante sufficere posse credunt, hos vocant מצות. Sedulo præterea cavent, ne farina usurpanda madida existat, aut fervida; quippe hoc casu jam fermentata esse judicatur. Placentas porrò efficiunt planas, & solidas, variisqve distinctas figuris, quas, ne intumescant, furno panario statim immittunt, beneqve excoctas summâ servare studeut cura; Hæ nimirum panis instar iis sunt, eorumqve gratia, qvi delicias sectantur, ac molliori vitæ generi adsveti sunt, qviqve non satis firmo corpore sunt, ovis saccharoqve præparantur & condiuntur, modò absit fermentum, & quicqvid fermenti nomen habet. Appellantur aliàs מצה עשירה *ditiorum placentæ.*

VI. Decimo quarto Martii die, ipsa nempe festi vigilia, primogeniti familiarum à cibo & potu abstinere solent, ad celebrandam memoriam prodigii divinitus facti, utpote qvod Deus nocte seqvente effecerit, omnesque Ægyptiorum primogenitos percusserit.

VII. Nocte adventante, freqventes ad preces habendas confluunt, quibus peractis domum repetunt, p rguntqve assidere mensæ, sole adhuc illucescente adornatæ, ac satis splendide pro cujusque facultatibus instructæ. Loco ceremoniarum antiqvitus observatarum, qvibus de præcipit cap. 12. Exod. ubi jubentur Judæi *comedere agnum & panes azymos cum herbis amaris &c.* hodie in catino aut corbula exigua partes qvasdam agni & hœdi capræ dissectas asser-

asservant, additis azymis ac herbis amaris, e.g. apio Italico, intybo aut lactuca, unà cum vasculo, in qvo conditura, qvibus sibi in memoriam revocant laborem operosum satis calcis ac laterum, qvos Majores nostri in Ægypto coqvere aut conficere cogebantur. Iidem porro manibus suis poculum vinô repletum tenent, recitantqve integram historiam plagarum, quas Patres ab Ægyptiis inflictas sibi ferre & sustinere adigebantur; miracula item & prodigia in ipsorum gratiam à Deo, ut liberarentur à jugô istô perqvam difficili, facta ac perpetrata non negligunt, sed justô ordine recensent, totumqve hunc actum concludunt, pro omni sibi exhibito favore, qvadam gratiarum actione; propterea incinunt Ps. 113. cum seqq. qvi veniunt nomine הללי *. Cœnam deinceps apponunt, qva absoluta, ad superiorem redeunt pietatem, recitando; qvæ adhuc residua sunt ex Psalmis ante laudatis, aliasve solennitati præsenti vel maximè convenientes gratarum actiones; inde lectus petitur & vespera, qvæ hanc proximè insequitur, ad eadem sacra & solennia habenda reditus paratur.

* *Psalmi isti hoc tempore decantandi à voce* הללוי *initium capessunt.*

VIII. Preces matutinæ in hoc festô decantandæ prorsus conveniunt cum istis, qvæ & in aliis locum inveniunt, excipiendæ tantum, qvæ huic festo sunt propriæ. Pertinent huc qvoque Psalmi ante à nobis enumerati. Legitur porrô à qvinqve Viris 12. Exod. caput, nec non Num. 28. institutio Sacrificiorum Paschatis. Hisce ceremoniis subjunguntur preces מוסף. sic additur & textus ex Prophetis æque, ut in Sabbato, conformis ei, qvi ex Mose modô erat desumtus, dicitur-

citurque הפתרה. Prandio transacto insequitur celebratio memoriæ festi præsentis, nec non benedictio Magistratus, eodem ferè modo, ut fieri solet in Sabbato.

IX. Ita & res comparata est cum duobus ultimis diebus, hac solum conditione adjectâ, non, ut qvidem primis diebus observatum, ultimorum vesperâ eundem in mensa observari morem.

X. Æqve atque in Sabbato precibus tantum, nullis adhibitis aromatibus; præterea cum חברלה Festum Paschale terminum suum assequitur; qvo facto posthac fermentato iterum vesci pane licitum est.

XI. Ab ipsa vespera secundi diei paschalis adusqve ferias hebdomadum numerandi veniunt dies 49. ubi manipulus spicarum hordei recentis, dictus עמר, solenniter qvondam offerebatur; appellabatur actus iste. *Supputare* עמר, ita dicitur Levit. 23, v. 15. *Numerabitis vobis à postero die &c.* Qualibet vesperâ, peracta benedictione legali, subjicere solent: *A die hodie effluxo usque ad Festum* עמר *tot vel tot adhuc sunt expectandi dies.*

XII. A diluculo primi diei Festi hujus usqve ad 33. diem tempus iis in tristitia & mœrore consumitur, Nuptias nec celebrant, nec sartoribus in conficiendis novis vestibus, aut tonsoribus in detondendo capillitio negotium facessunt; eò usqve, ut qvoqve piaculum, ullum lætitiæ signum publicè edere: Causa allegatur funestum illud malum, qvo hoc ipso tempore Discipuli Akibhæ, Viri maximæ apud nostros authoritatis, dignitatisqve afflicti fuere, qvi impetus morbi vehemens admodum, cum tandem die 33. multis millibus è vita sublatis, desineret ac reprimeretur, appellatur propterea dies iste לג (id est 33. *tantum enim*

littera

littera ista valent,) ac instar diei festi summa cum lætitia celebratur; unde & abhinc omnis tristitiæ facies abesse & exulare jubetur.

CAPUT IV.

De Festo Hebdomadum, seu de Pentecoste.

I.

DIE qvinquagesimo עֲמֶר, qvi respondet sexto mensis סִיוָן, ritu solenni celebratur Festum שבועות (*hebdomadum*,) ita appellatum, qvod in finem hebdomadum septem à Paschate, ut supra advertimus, numerandarum incidat. In Sacro Codice venit nomine temporis primitiarum, ideò nempe, qvia tum fructus primigenii à Patribusfamilias ad templum deferebantur. Dictum itidem est Festum messis; in messem qvippe tum temporis falcem immittere moris erat; aliæ præterea, à quibus cognominatur, extant appellationes, qvas ex Scriptura excerpere privata industriâ licet. Hodie spatio duorum dierum sacra ipsius peraguntur.

Deut. 26. *Exod.* 23. *Lev.* 23. *Num.* 28.

II. Duo itaqve dies isti pari pretio ac reverentia uti Paschales, habentur & observantur; ita qvidem, ut in istis nemo operibus manufactis, aut aliis negotiis vacare debeat, perinde ut in Sabbato; ignem interea suscitare, adornare cibos, & transferre ex uno loco in alium, qvòqvis opus habet, nemini negatur.

III. Qvum à Majoribus Judæi acceperint legem hoc tempore in Monte Sinai latam fuisse, Synagogas, aliaqve loca, cultui divino destinata, ædes item

suas

suas rosis ac floribus, in formam coronarum adaptatis, aut ornamentis pictis, aut sculptis floribus, frugibusqve contextis haud modicè & parcè illustrare ac exornare, in more ipsis positum est.

IV. Preces agunt Feriis hisce omninò conformes, nec prætermittunt enarrationem de Sacrificiis, hoc tempore antiqvitus offerri solitis; huic subjungunt הפטרה ex Prophetis, atqve benedictionem pro Principe. Mensâ dein' sublatâ in honorem ac laudem legis coram toto cœtu concio habetur.

V. Altero die Festi præsentis ad vesperam inclinante ceremonia, dicta הבדלה, æqve ac sub exitum Paschatis, uti ante dictum est, celebratur; sacra namque finita esse, consvetosqve labores iterum suscipi posse, hoc ipso declaratur.

CAPUT V.

De Anni novi primordiis, ac mense אלול.

I.

MUltum inter se disceptarunt Doctores Talmudici de Tempore, qvo mundus esse cœperit, qvippe alii ipso Vere creatam hanc rerum universitatem esse volunt, mense videlicet ניסן (*Martius.*) Contra alii malunt mensem תשרי, qvi nobis September dicitur; Ultima plerisqve arridet sententia; ita qvidem, ut inde etiam initium annorum petere & computare soleant. Rursus cum Scriptura loqvatur de mense ניסן hoc pacto; *Hic mensis principium vobis esto mensium*, adeoqve ab hoc mense olim supputandi ordo deductus sit, qvo sensu ארר ultimus mensium erat; tamen temporibus subsqventibus

hæc

hæc menses subducendi ratio abolita & innovata est, ex qvo nempe anni primordia à תשרי numerare cœperunt posteri.

II. Hinc itaqve ortum ducit Festum, cui nomen ראש השנה (*initium anni*,) cujus solennia primis duobus diebus תשרי peraguntur. Pertinere huc, trahiqve quàm optimè posse videntur illa, Lev. 23, v. 24. *Mense septimo, primo die ejus mensis, esto vobis cessatio* &c. Cæterum in hoc pariter, ac in duobus jam ante commemoratis Festis, ab omni prorsus labore, negotiisqve sibi temperant Judæi, adeoqve feriantur.

III. A Majoribus Nostri quasi per manus traditum accepere, Deum, primo anni cujuslibet die, singulas mortalium actiones anni modò elapsi ad examen revocare: simul etiam definire, & in ordinem redigere varios anni instantis eventus, casusqve: Siqvidem prætendunt, Deum, qvum hic dies, instar minimi articuli, seu momenti creationis totius hujus universi, sese habeat, ἀκριβῶς satis omnia illa, qvæ anno præterito obtigere, ob oculos omniscientiæ suæ ponere, clarissimèqve intueri & recognoscere: Inde qvoqve est, qvod Judæi primo die אלול, qvi antecedit mensem תשרי, pœnitentiam agere soleant, cujusrei aliqvi præterea addunt ablutionem, antelucano tempore factam, confessiones item, ac recitationes precum & Psalmorum pœnitentialium. Multis in more positum est, ab hoc die usqve ad Festum expiationis, atqve adeo per 40. integros dies, jejunium, pœnitentiam ac erogationem Eleemosynarum sine interruptione protrahere. Sub initium mensis אלול cornu qvoddam Judæi inflare suevêre, ob rationes, quæ paulò inferius in medium à me adducentur.

IV. Ple-

IV. Plerumqve sacra memorata, in ista minimum septimana, qvæ celebrationem Festi Pentecostalis præcedit, observantur; Non in sacræ lucis vigilia, qvam multi impendunt corpori mundando, abstergendoqve: in qva & 39. ictus cum flagello sibi infligi permittunt, juxta formam disciplinæ traditæ * Deut. 25, 3. *Quadragenis plagis cadendum curabit eum, ne addito:* Hunc actum & ceremoniam voce מכות (id est, *ictus flagello inflicti*) reddere aliàs & exprimere solent.

* *Quadraginta plagis rei corpus cadi sacra constituere pandectæ. Discedit ab hac divinitus instituta ordinatione Talmudicarum traditio, dum illi pro 40. substituere 39. percussiones corporis, qvam D. Paulo adhuc vivo jam tum apud Iudæos invaluisse ipse docet 2. Cor. 11, 24.*

V. Sub prima Novi anni vesperâ è Synagogâ egredientes votiva voce sibi invicem acclamant: *Ad bonum annum inscribaris.* Consvetudinis præterea apud illos est, melle & pane azymo mensas hoc die instruere, qvo ipso divinare volunt anni imminentis fertilitatem, pacemqve.

VI. Potissima pars hoc tempore, & in duobus istis diebus festis, die illucescente, candidis amictis togis Synagogam freqventat, ad patefaciendum contritionem & munditiem suam. Germanos inter extant, qvi comparant sibi, induuntqve indusium cadaveri suo, sepulcro aliqvando inferendo, aliàs destinatum; Omnia verò isthæc ad castigandum, affligendumqve corpora sua faciunt; Magis sese tum atqve in reliqvis feriis precando fatigant, ut nempe hoc ipso digniores haberi & judicari qveant, & prosperitate novi anni & pec-

peccatorum remissione, qvam utramqve votis suis enixè rogant & expetunt. Solennitatem hanc auget ἀνάγνωσις seu prælectio ex Pentateucho de sacrificio, hoc tempore qvondam in Ecclesia Judica oblato: Qvinqve viri eam recitare debent: nec non הפטרה ex Prophetis recitanda; Benedictio item Magistratui dicata.

VII. Tribus præterea vicibus inflant cornu, sono modo remissiori, nunc subaspero, convenienter mandato, qvod extat Lev. 23. 24. Num. 29. 1. *Dies clangoris esto vobis.* Perhibent id fieri ideò, ut qvilibet sibi in memoriam revocet imminens divinum judicium; ad reformidandum itidem; incutiendumqve terrorem peccatoribus; nec non ad incitandum hos ipsos ad resipiscentiam. Addunt preces מוסף cum reliqvis ceremoniis, ad celebrem reddendum præsentem diem, cornuqve iterum, ut antea, sonum edunt. Inde revertuntur, ædesqve suas ingressi cibum capiunt. Reliqvam diei partem in audiendis sermonibus sacris, aliisqve actionibus devotis transigunt. Uno itaqve eodemqve modo, eâdemqve sanctitate, bini isti novi anni dies à Nostris excipiuntur & celebrantur. Vesperi alterius, qvo feriis finis imponitur, pari ratione, ut supra de reliqvis Festis observatum, הבדלה ratio habetur.

CAPUT VI.

De יום הכפורים *sive de Die Expiationis.*

I.

SAcris Novi anni, mensisqve אלול ad finem ita perductis pergunt, die nondum albescente, è stratо suo

ſuo exurgere, ut freqventes precibus matutinis adeſſe qveant, atqve adeo noxam, reatumqve delictorum ſuorum expient, adusqve decimum Menſis תשרי, qvi eſt dies ipſe Expiationis, dictus propterea יום הכפורים; qvo apte referuntur illa Levit. 23, 27. *Die* 10. *menſis hujus ſeptimi Dies Expiationum eſt, ut affligatis animas veſtras.* Cæterum hic dies æqve ſanctus apud eos audit, atqve Sabbatum: Præter moderationem igitur ab opere & labore qvotidiano ſibi qvoqve temperant ab omni cibo, potuqve.

II. Solenni qvodam antiqvitus delectabantur ritu, ſub ipſis nempe Feſti hujus vigiliis. Gallum vivum tribus vicibus capiti allidebant, dicendo ad ictum qvemlibet: Sit mei loco immolatus: Actus iſte appellabatur כפרת (*expiatio*) at conſvetudo hæc in Italia ac Oriente hodie plane obliterata eſt, ac eſſe deſiit, poſteaqvam meram ei ſubeſſe vanitatem & ſuperſtitionem, neqve ulli verò fundamento ſuperſtructam eſſe, deprehenſum eſt.

III. Plus cibi, potusqve, qvam aliàs qvidem fieri ſolet, hac vigilia Judæos aſſumere videbis, qvum mane ſubſeqvente jejunium incipiant. Multi aqva ſe perfundi, pectusqve ſuum 39. vicibus virgis percuti permittunt, ictusqve ita numerati nomine מכות ipſis veniunt. Qvi violenter, & per injuriam aliorum fortunas ſibi vendicarunt, propriâ convicti conſcientiâ, poſſeſſori ablata reſtituunt; Remiſſionem violenti efflagitant ab innocentibus à ſe offenſis & impetrant qvoqve; qvippe hi facillimos ſeſe in condonando præbere debent. Pauperum ſuccurritur inopiæ; neqve eorum qvicqvam omittitur, unde ſincera colligi poteſt contritio.

IV. Spatio duarum aut trium horarum, priusquam Sol

Sol occumbit, ad preces à meridie fundendas confluunt; Cœnam deinde mensæ inferunt; sumto cibo, ac Sole nondum sub horizonte constituto, pleriqve stolis albis, aut habitu demortui sese involvunt, discalceatiqve in Synagoga apparent, qvæ tum splendore lampadum & candelarum minutarum cerearum accensarum colluſtrata nimium refulget. Qvælibet natio more patrio multum precatur, immixtis confessionibus ad declarandum contritionem, animiqve sui submissionem & humilitatem. In qvo Pietatis exercitio per tres integras perseverant horas, dehinc cubitum eunt. At qvi cæteris vitæ, morumqve sanctimonia antecellere videri volunt, per totam ferè noctem in Synagogis vigilias agunt, & in precibus, Psalmisqve recitandis sese exercent, atque fatigant.

V. Postridie summo mane iterum Synagogam freqventant, eodem vestitus genere, qvo pridie usi fuerant, incedentes, atqve tum in seram usqve noctem congregati permanent in precibus, Psalmis ac confessionibus reddendis, pronunciandisqve assidui, deprecando noxas peccatorum, quæ commisêre. Preces verò istæ in 4. classes optimè sese dividi patiuntur. Aliæ sunt matutinæ, שחרית; Aliæ ad instar auctarii veniunt nomine מוסף: * Aliæ à prandio instituuntur, dicunturqve מנחה; Hisce succedunt vespertinæ cognominatæ נעילה. ** Precibus primæ, tertiæve classis decantatis, simul in Pentateucho prælegitur textus sacer mane hora sexta. Hora verò tertia pomeridiana subditur ἀνάγνωσις prophetica dicta הפטרה.

* מוסף *convenit cum elogiis & gratiarum actionibus, qvæ subjici solent precibus matutinis in Ecclesia nostra.*

** Con-

** *Concluſio. Tunc enim finis actui precandi imponitur, atqve adeò & veſpertina obſignantur preces. Eodem ferè pacto atqve completorium noſtrum, ſacris veſperis finitis decantari ſolitum, Eccleſiaſtici nempe penſe velut pars ultima.*

VI. Poſt precum auctarium, ſacrificii, ejusqve ſolennitatis per Pontificem qvondam peractæ inſtituitur commemoratio; Utpote cui ſolùm die Expiationis intrare adyta Sancti Sanctorum ad fumigandum illic ſuffitu permiſſum erat. Ad eundem porrò ſpectabat, duos hœdos, qvorum alter cultui divino in ipſo altari celebrando; alter verò עזאזל * cedebat, ſorti committere.

* *Mons ita appellabatur ab hirco illuc miſſo, ablegatoqve: Siqvidem vox illa compoſita hircum abeuntem ſeu oberrantem deſignat.*

VII. Nocte appropinqvante, qvam ex ſtellis viſui objectis colligunt, idem cornu, qvo ſub anni primordiis uſi fuerant, inflatur, qvo velut ſigno qvodam innuitur, jejunium finem ſuum aſſecutum eſſe; Poſteaqve obviam facti ſibi invicem diuturnam vitæ lucisqve uſuram comprecantur: Benedicunt unà, uti cap. 3. obſervatum, Lunæ jamjam naſcenti. Qvo facto revertuntur domum, ubi recitata הבדלה, cibaria appoſita iterum capeſſunt.

CAPUT VII.

De Feſto Tentorii ſeu Tabernaculi.

I.

Decimo qvinto menſis תשרי incidit memoria

Festi Tabernaculorum, סוכות aliàs dictum & cognominatum; à Majoribus qvondam ideò celebratum, ut memoriâ repeterent tentoria, qvæ relinqventes Ægyptum per desertum locata, fixaqve inhabitassent olim; Non minus qvoqve ad isthæc solennia peragenda mandato divino urgeri videbantur, qvod legitur Levit. 23. v. 42. hoc sensu: *In tabernaculis manetote 7. diebus*: Vi hujus præcepti itaqve qvilibet in loco spatioso satis, apertoqve tugurium, foliis frondeqve arborum obtectum, sibi extruit, aulæis circumqvaqve, & pro cujusqve facultatibus adornatum instructumqve, cujus formam & qvalitatem, altitudinem item & latitudinem Magistri nostri, ut valent ingenio & sapientia, accuratè satis expresserunt ac delinearunt. Cæterum in hujusmodi mansionibus editur, bibiturq; per 8. integros dies, tempusqve diurnum illic, uti nocturnum in ædibus, transigitur; At aliqvi & in ipsis tuguriis somnum capessere malunt.

II. Novem diebus feriæ hæ durare perhibentur, ex qvibus 7. divinæ authoritati atqve ordinationi; nonus autem antiqvæ traditioni ortum debent, similiter uti in Festo Paschatis accidisse commemoravimus cap. 3. Part. III. Dies octavus iterum divini mandati est, inserviens nempe convocationi, uti extat Num. 29. 35. *Dies octavus dies Festus esto vobis &c.* Duo priores ac ambo ultimi ritu solenni celebrantur, reliqvi qvinqve intermedii inferioris autoritatis ac dignitatis sunt, prout liqvet ex istis, qvæ dicta sunt ad cap. 3. P. III.

III. In precibus agendis eadem, qvæ alibi, hic etiam servatur methodus; Dantur nimirum preces, hasce Ferias propriè concernentes, reliqvæ cum aliis

aliis diebus festivis ipsis communes sunt. Nihil præterea immutatur in Psalmis, qvi dicuntur הלל decantandis; nihil in textibus Sacris ex Mose, Prophetisqve prælegendis; nihil in benedictione Principum ac Magistratus ergo instituenda; nihil deniqve in recitatione precum מוסף, aut recensione historiæ de Sacrificiis, antiqvitus hoc tempore immolatis, quæ consignata legitur Num. 29. & continet primo die 13. altero 12. tertio 11. jugulatos, aræqve consecratos fuisse boves. Atqve ita conseqventer & in reliqvis diebus factum fuisse. Unde relinqvitur, numerum boum septem diebus immolatorum in unam summam collectum effeciſſe 70. *Hisce si addatur unus ille, sacris diei octavi destinatus, emergunt inde 71*, numerus scilicet integer boum offerendorum.

IV. Summa cura studioqve ad sacra festi præsentis ritè agenda conqvirunt unam palmæ spatulam, tres item myrti ramos, duos salicis, nec non unum citri,* eumqve integrum, dumqve Psalmos הלל in Synagoga decantare incipiunt, ramos hosce omnes in unum colligatos dextra sua complectuntur, præter illum cytri sinistra acceptum, accessuqve propiori per contactum concussionemqve facto, agitant illas, moventqve in qvatuor mundi plagas, juxta illa Levit. 23, 40. *Sumtis igitur pro vobis ipso die primo termitibus arborum speciosarum, spathis palmarum &c.* adhæc incinentes aliqvot hymnos semel die qvocunqve circumeunt altare parvum aut pulpitum, qvod in Synagoga extat, gestantes manibus suis una cum ramis & mala citrea; in templo namqve primis tem-

poribus eandem viguisse ceremoniam pro certo habetur.

* *Videlicet innuitur ramus una cum fructu maturo.*

V. Septimo solennitatis die, qvem appellant הושענה רבה (*auxilio validissimo adjuva*) mittunt qvidem & abjiciunt ramos reliqvos, solum autem salicum fasciculum retinent, qvo septem vicibus circumeunt pulpitum, simulqve decantant Psalm. 29. *Cedite Iehova, filii fortium, cedite Iehova gloriam & laudem, &c.* atqve hic dies dimidia sui parte sanctior est reliqvis Festi Tabernaculorum diebus.

VI. Nonus, ultimusqve dies solenniter à Doctoribus & Magistris institutus dicitur שמחת תורה (*lætitia legis gratia*) cum hoc die absolvatur totum legis publicæ per septimanas prælegendæ pensum; qva de divisione supra, Part. I. cap. II. fusius dictum est.

VII. De cætero, cùm in hoc tempus incidit anni finis, duo à qvolibet conventu sacro eliguntur Viri, titulo Sponsorum Legis superbientes, qvorum alter dictus חתן תורה (*Sponsus Legis*) ultima Pentateuchi ore tradit. Alter verò cognominatus חתן בראשית (*Sponsus Principii Legis*, seu Pentateuchi) lectiones Biblicas de novo illicò rursus auspicatur, summo cum applausu & oblectamento multitudinis præsentis. Hoc ipsum usu ita receptum in qvalibet Synagoga. Reliqvum interea diei, peracto cultu divino, in summa, eaqve honesta transigitur lætitia.

CA-

CAPUT VIII.

De Jejuniis lege traditis, aut libere susceptis.

I.

DEcimo septimo תמוז *, qvi respondet mensi Julio, jejunium solenniter à Judæis celebratur, qvo sibi in memoriam revocant certas qvasdam calamitates, qvibuscum olim conflictari necesse habuere cives Hierosolymæ. Accedit, qvod hoc ipso die Moses primas legis tabulas ob vituli aurei religiosum cultum abjecerit, atqve confregerit.

* *Communiter aliàs* תמוז *Junio respondere dicitur; id qvod in reliquis subseqventibus observandum est mensibus.*

II. Omnia jejunia divinitus jussa sole occumbente initium sumunt; neqve audet qvis sibi qvicqvam, aut potus ori admovere ante vesperam proximam, post siderum nempe ortum.

III. Ipso tempore matutino dierum jejunio destinatorum cum precibus simul jungunt peccatorum confessiones; historias item rerum & eventuum, qvi tum obtigere, dirorum ac tristium. Subjiciunt porrò lectionem qvandam ex pentateucho, præsertim v. 11. cap. XXXII. Exod. *Qvamobrem deprecatus est Mosche* &c. à cibo assumpto eodem pacto procedunt cum precibus מנחה, utpote qvibus finem imponit הפטרה ex Esa. LV. 6. *Requirite Iehovam, qvum præsto est.*

IV. Dantur inter noſtrates, qvi inde à decimo ſeptimo תמוז usqve ad IX. menſis Auguſti, adeoqve per tres integras ſeptimanas, à carne & vino ſibi temperant; verum ad hoc præſtandum liberi feruntur, non coacti, ideo qvidem, qvod per totum temporis iſtius tractum omnis generis miſeriæ populum Judaicum afflixere & exercuere.

V. Nono die Auguſti incidit jejunium appellatum * תשעה באב, reliquis multo ſanctius & excellentius; refert enim tempus, qvo Nebucadnezar templum funditus everti & comburi juſſerat; in qvo facto imitatorem hoc ipſo die nactus eſt Titum Imperatorem. Veſpera igitur hujus diei paulò ante qvam ſolis imago mortalium oculis planè ſubducitur, ad horæ unius fermè diſtantiam ſacra Feſti hujus inchoantur, in qvâ devotione pergitur qvoqve ad vigilias usqve diei proximi, ſideribus nempe in viſum demum incurrentibus. Sic & pedibus planè denudatis, aut minimum discalceatis, manibusqve illotis toto hocce temporis intervallo ingrediuntur Judæi.

* *id eſt die IX. Auguſti, vel potiùs Iulii: ſin* תמוז *correſpondeat Iunio*

VI. Hac ipſa veſpera precibus pro more in Synagogâ abſolutis, in humo conſidere, threnosqve Jeremiæ Prophetæ perlegere ſolent; in qvo ſtudio & poſtridie pergunt, plures alias addendo lamentationes, totumqve adeo diem in mœrore tranſigunt: nec ullam illius partem legis ſtudio impendere; nec aliis ſacri codicis libris præter Jobum, Jeremiam, aliosqve, qvi idem argumentum

tùm cum modo laudatis de miseriis & afflictionibus populi Judaici pœnè actarunt, insudare iis ipsis permissum est.

VII. Sabbatum hocce festum proximè excipiens vocatur נחמו (qvasi *Sabbatum consolatorium*,) ideo qvod tum prælegendum textum solatii plenissimum in publico consessu ex Esa. 40. ordinis ratio postulare videatur: cujus initia ita ferè sese habent: *Consolamini, consolamini populum meum*; atqve sic animos metu ac terrore perculsos prostratosve erigunt iterum atqve colligunt, certa freti fiducia, Hierosolymam, qua civitatem & templum, pristinam gloriam recuperaturam esse.

VIII. Tertiò תשרי, qvi proximus est à Festo novi anni, ab una vigilia usqve ad aliam, insequentem scilicet, à cibo communiter abstinere solent in memoriam Gedaliæ, filii Achican, † hoc tempore interempti ac trucidati, qvi aliàs vir erat & pietate clarus, defensorqve reliqviarum Israelis; dies igitur iste, cum alias pœnitentiæ consecratus est, simul ille verò & occasionem præbet, memoriam sancti hujus hominis celebrare, ideo appellatus צום גדליה (*jejunium Gedaliæ.*)

† *Ierem.* 41.

IX. Hoc è vestigio insequitur aliud כפור (id est *jejunium expiationis*) dictum, qvo de supra * fusius egi, unà advertens, in decimum mensis תשרי incidere illud ipsum.

* *Part. III. cap.* 6.

X. Aliud ad hoc & à præcedentibus diversum instituitur Festum, decimo nempe mensis טבת, qvi

respondet Decembri; qvum hac tempestate Rex Nebucadnezar Hierosolymam obsidione cinxerat, qvam deinceps qvoqve deditione acceperit.

XI. Tandem & die 13. mensis אדר, qvi idem est cum Martio, Festi jejunii aguntur solennia; dicitur illud פוריים (id est, *jejunium sortium*) Reginæ Estheræ gratia, omnem omnino cibum potumve, hoc die ob infortunium aliasqve res adversas detestantis ac recusantis; prout id latius deducit in historia à se conscripta.

XII. Atqve hæc qvidem huc usqve numerata jejunia divini omninò præcepti sunt. Reliqva singularia ad hanc illamve nationem spectant, neqve omnes æqvè obstringunt. Ita Germanorum consvetudo fert, jejunium trium dierum post Festum Paschale, & tabernaculorum suis intimare & celebrare; duos nempe dies lunæ se invicem proxime insequentes cum die Jovis interjacente sacro huic negotio dedicarunt atqve elegerunt. Hoc qvidem fine, si forte in diebus Festis octo antecedaneis divinam iram peccatis suis, etiam leviſſimis, in se irritarint atqve armarint, hac ratione eandem expient. Præterea apud eosdem invaluit, ultimum anni diem transigere nullo assumpto cibo aut potu. Qvidam vigiliam primi diei cujuscunqve mensis sacris istis impendere solent.

XIII. Qvi pœnitentia, aut alia qvadam singulari pietate inducti aliud adhuc, præter modo memorata, apud animum suum constituerunt, voveruntqve jejunium, in more positum habent, ante solis occasum voce elata inclamare: *Constitui mecum, crastina luce ab omni cibo ac potu, religionis gratiâ,*

gratiâ, abstinere. Quo dicto ab hoc momento usque ad idem crastinæ lucis famelici remanent, cœlum interea precando fatigant, orationibusque supplicibus, atque jejuniis, velut tot sacrificiis exhibitis, idem sibi gratiosum reddere non negligunt.

CAPUT IX.

De Festo חנוכה * *aut Luminarium.*

* *Idem, quod nostris est Festum Enceniorum.*

I.

A Multo jam tempore Doctores nostri instituêre festum per octo integros dies sanctè servandum: orditur hoc ipsum 25. mensis כסלו (*qui idem est atque December,*) ad vindicandum nempe ab interitu memoriam victoriæ longè præstantissimæ, quam olim fratres Machabæi à Græcis reportarunt. Una in honorem Festi primo die accenditur lampas, altero binæ, multiplicando ita porro ad ultimum usque diem pro incremento ipsorum lampadum etiam numerum: octavo itaque die octo accenduntur lucernæ, idque ideo, quod Jochanan, ipsiusque liberi hostem, civitatem occupantem, ac templum profanantem, inde iterum ejecerint ac profligarint. Nec satis; sed etiam, quod cum à strage hostium redeuntes nil sancti olei invenirent ad accedendum lampades candelabri, præter opinionem inciderint in lenticulam quandam tantum olei suppeditantem, quantum uni nocti satisfaceret. Singulari providentiâ divinâ interea factum, ut per integrum octiduum lucernarum flam-

ma inde ali ac sustentari potuerit. Hoc ipsum proinde miraculum tantum nostros movere potuit, ut ejus celebrandi gratia octo dies festos instituerent. Qvin & consilia conatusve fortissimæ Judithæ adversus Holofernem, infensissimum populi Judaici hostem, memoria gratissima eodem colunt tempore; licet juxta qvorundam sententiam sint res non uno, sed diverso tempore gestæ.

II. Feriis hisce pro lubitu negotiis, commerciisve vacare queunt. Id enim tantum peculiare habet Festum, ut lucernis celebretur, precibusqve subjungatur gratiarum actio pro victoria, à Maccabæis reportata. Psalmus itidem 113. cum seqventibus decantandus est una cum Psalm. 30. *Extollam te Iehovah &c.* ratione eduliorum etiam perparum hos inter & reliquos dies profanos discriminis datur.

III. Appellatur חנוכה (id est *exercitium seu instauratio*) ab exercitio nempe sacrorum in templo aliqvando neglecto, ac per gentiles profanato, postea verò rursus renovato atqve redintegrato.

CAPUT X.

De Festo פורים (*sortium.*)

I.

Decimo qvarto mensis אדר (*Martii* aut *Februarii*) incidit memoria Festi פורים in honorem Reginæ Estheræ antiqvitus sanciti; utpote quæ hoc tempore vel maximè occupata fuit à Judæorum cervicibus avertere internecionem, per Hamanis insidias ipsis paratam, qvi tamen detectis iis una cum filiis suis ex infelici arbore suspensus vitam ita ignominio-

se

sè satis, ac pro merito suo finivit. Nomen פורים adeptum est ideo, qvod legatur in ultimo historiæ ab Esthera consignatæ capite, *Propterea vocant dies istos* פורים &c.

II. Duo qvidem ad illud rite celebrandum destinati sunt dies; primo interea solo solennia Festi celebrantur. Ipsa Feriarum vigilia nihil comedunt aut bibunt, uti paulò ante monitum. Cæterùm rebus suis qvilibet pro arbitrio operam dare & prospicere potest. Verùm pietatis ergò, utut sponte, primo die nihil negotii in se suscipiunt.

III Ipsa vespera Synagogam frequentant; ubi precibus ordinariis ad finem perductis mentionem injiciunt redemptionis felicissimæ, ab interitu & exilio cervicibus majorum nostrorum imminente. Historia Estheræ in membranâ, eaqve puriori ac politiori, tota descripta obvolutaqve instar Pentateuchi, unde qvoque nomen מגלה (id est *volumen*) accepit, prælegitur. Multi, dum recitatur, animadvertentes nomen Hamanis pronunciari, complodunt ac concutiunt manus suas; Significant hoc ipso offensionem & capitale odium suum, quo ipsum persequuntur. Idem & in precibus matutinis observant. Lectionem hujus diei suppeditat cap. 17. Exod. cujus initium: *Venientibus Hamalekitis, ut pugnarent contra Israelitas.*

IV. Egenis ac mendicis satis liberaliter eleemosynis succurrunt: Consanguinei item atque amici esculenta sibi invicem mittunt. Præterea discipuli Præceptores, capita familiarum domesticos, divites denique pauperes donis atque muneribus afficere & honorare solent. Atque ita dies integer lætitiâ, deliciis, convivisque laute instructis absumitur juxta illa

cap. ult. l. Esth. *Quæ viderunt Iehudæi celebrando eos dies convivii & lætitiæ, tum missu portionum alterius ad alterum, tum donis ergæ pauperes, &c.*

V. Postridie quilibet vesperi convivium profacultatibus suis satis splendidum adornare laborat, in quo plus solito sese cibo potuve recreant ac reficiunt: Dein se invicem invisunt, ac in congressibus suis, animi causa institutis, variis relaxationibus animos suos relevant ac demulcent.

VI. Altero festi die non fatigant Auditorum animos nova legis lectione, aut iterata aliorum sacrorum celebratione; neque enim tanti esse putatur. Interea nihil eorum, quæ ad gaudium voluptatemque humanam mentem ciere ac flectere possunt, prætermittitur.

VII. Cum annus 13. numeratur mensibus, ita ut mensis אדר binis in eo ocurrat vicibus, conf. P. III. cap. 2, diem 14. primi אדר פורים minus appellare solent. De cætero præter nudum nomen nihil præterea commune habet cum ceremoniis festi huc usque illustrati.

FINIS PARTIS TERTIÆ.

Ceremoniarum & Consuetudinum penes gentem Israelitarum receptarum

Pars Quarta.

CAPUT I.

De interdicto cum fœminæbus commercii.

I.

COire cum fœmina elocata, (sit etiam, vel sponsæ nomen adhuc gerat,) peccatum omnino grave, quale quidem cum fœminabus committi potest, à Judæis censetur. Piaculum vero longè gravius, imo gravissimum esse putant, rem cum consanguinea habere, quæ nempe ad ullum graduum prohibitorum Lev. 20. referri potest; liberi autem ex hoc matrimonio suscepti ignominioso ממזרים (*spuriorum*) nomine venire solent, nec in societatem ecclesiasticam cooptari queunt: quemadmodum dicitur Deut. 33. *Spurius ne venito in congregationem Domini.* Ad hæc neque hoc leve crimen est, consuescere mulieri extraneæ, quæ non est de Israelitarum gente, id quod jam olim ab Esdra legitur vetitum esse; aut meretrici ex familia Judaica prognatæ. Sic quoq; nec lex, nec ratio concedunt, Israelitas cum prostibulo quodam negotium habere; sicut id per-

spicuè satis docetur versu 17. capitis citati: *ne esto meretrix de filiabus Israel, &c.*

II. Delictum etiam reputatur non minimum, cohabitare mulieri, quæcunque ea demum sit, etiamsi liberæ omnino, & ἄνευ τῆς περιστάσεων, quas huc usque recensui. Quemlibet, quam semel duxit uxorem, eâ contentum esse oportet. Sin quis corrumpit virginem, vitiatamque à se domum ducere detrectat, fornicationis reus esse censetur.

III. Rem habere cum menstruata, sive sua, sive alterius mariti, planè vetitum est; conferantur inferius dicenda una cum capite 18. Levit. ubi sequentia leguntur; *Ad mulierem in separatione immunditiei sua ne accedito, &c.*

CAPUT II.

De matrimonio.

I.

JUdæorum nemo conjugium repudiare debet, hinc istud initurus ex magistrorum præscripto octodecim annos natus sit necesse est; ille enim, qui vigesimum jam implevit, nec tamen adhuc uxorem duxit, libidinis vitio jamjam coinquinatum esse censent. Sententiæ vero suæ fundamentum inde quærunt, quod quilibet soboli procreandæ operam dare obstrictus sit, vi mandati divini homini primo dati Gen. 1. *fœtificate & augescite & implete terram, &c.* cui proinde satisfeciisse putatur is, qui unum filium vel filiam sese procreasse gloriari potest. Contra cum facillimus ejus, qui jugum conjugale subire detrectat, in fornicationem lapsus sit, neminem docent in cœlibatu vitam transigere debere.

II. Li-

III. Licet Judæis prævia scriptura plures una alere uxores; id quod etiam observatur ab iis, qui orientis partes incolunt. Contra Germani polygamiam istiusmodi simultaneam detestantur, nec Itali eam tolerant, nisi rarissime, ac tum demum, quando à multis jam annis conjux sterilis deprehensa fuerit.

III. Neptes, h. e. filias fratrum aut sororum, & pari ratione sobrinas quoque matrimonio sibi jungere quis potest. Ast matris sororem in matrimonium assumere nepoti minime licet: imprimis cum ejusmodi matrimonium numeretur inter gradus consanguinitatis Levit. 10. prohibitos.

IV. Sunt, qui renuerunt inire matrimonium cum vidua, quæ duobus aut pluribus copulata fuerat viris; probro inde propterea affecta, ut maricidæ nomen fuerit adepta: sed hoc præter jus & fas: cum matrimonium à vidua iteratum cum nulla lege pugnat; neque vero & viro vertitur vitio, ad duo vel plura etiam pergere vota.

V. Vidua aut repudiata alii nubere non potest, nisi elapsis à morte mariti nonaginta diebus; ideo quidem, ut certo innotescat, num infans in lucem editus posthumus sit, an secus.

VI. Quando paterfamilias mortem cum vita commutans pusillum relinquit, lacte materno adhuc enutriendum, matri, infantulo ad huc intra duos annos existente, matrimonium contrahere omnino denegatur; & quidem data opera magistris placuit tantum temporis ad infantem ablactandum determinare, ut eo magis caverent, præstarentque pupillo securitatem justæ educationis.

CAPUT

CAPUT III.

De sponsalibus & nuptiis.

I.

EX quo de pactis matrimonialibus conventum est, pactio ista nuptialis, sponsum inter & parentes sponsæ inita, literis dotalibus confirmatur. His feliciter peractis desponsatam sibi adit sponsus, salutat eam, dextramque porrigit, velut fidei conjugalis certissimum pignus. Alicubi mos obtinet, sponsam primum visam donare annulo quodam, quo pacto matrimonium firmum, ratumque ac consummatum esse censetur; quæ tamen consuetudo nec in Italiâ, neque in Germaniâ observatur, aut asseclas & imitatores agnoscit ullos: quippe sponsalia Judæorum in his locis inita, juxta paciscentium commodum ac conventionem, vel per sex menses, aut ver unum, vel duos annos inviolata servari atque extendi queunt. Toto isthoc tempore amasiam suam frequenter sponsus invisit, honesteque amorem ipsius ambit.

II. Cum dies nuptiis celebrandis destinatus adest, (qui communiter in novilunium incidit; estque Mercurii vel Veneris dies, si est virgo; vel Jovis, si est vidua,) prima vespera, si nempe menstruis non amplius est obnoxia, balneum ingreditur sponsa, eoque, ut capite sequenti dicturus sum, utitur ad abstergendum corpus suum; sed si fluxu sanguinis menstrui adhuc laborat, haud licitum ei, ex quo nondum perfusa, probeque aqua balneari purgata est, cum novo conjuge concumbere. Cæterum hoc ipsum, nuptiæ quo minus celebrentur, prohibere nequit.

III. Placitum sapientum quorundam est, abstine-

stineant novi conjuges die nuptiali ab omni cibo potuque, usque ad momentum, quo præmissa benedictione conjunguntur actu ipso.

IV. Festivitas hæc ut eo illustrior, splendidiorque appareat, hora, qua de ante inter sese convenere, constituta nupturi circumdati choro musicorum aut puerorum, qui manibus cereos gestantes hymnos ac Psalmos more patrio decantant, in conclavi certô sub cœlo quodam pensili sese sistunt. Concursu interea undique à civibus Synagogæ facto capitibus nuptias celebrantium imponitur חופה, velum nempe quadratum, constans resticulis dependentibus, formam panicularum referentibus, vid. superius dicta. Post hæc Magistri, aut cantor Synagogæ, aut denique consanguineorum proximus manu prehendunt calicem; aut aliud vas vino repletum, fusisque ad DEUM precibus, quibus pro creatione utriusque sexus matrimoniique institutione, &c. gratias agunt, novos conjuges ex hoc poculo bibere sinunt: tunc sponsus digito suæ annulum indit, præsentibus duobus testibus, communiter ex Doctorum cætu ad hæc sacra delectis, atque in hæc porro prorumpit verba: Ecce, ô mea, hoc pignore dato me tuum profiteor maritum esse, teque duco in uxorem juxta ritus Mosaicos atque Israelitarum. Pactio deinceps nuptialis recitatur, quâ profitetur sponsus, sese eam pro suâ agnoscere, ideoque etiam sustentare & pacate cum ea vivere velle; cujus gratia in præsenti literas, testes luculentissimos, publica authoritate munitas parentibus sponsæ sese exhibere ait. Insuper de novo in vase novo vinum affertur, precibusque recitatis, quarum in universum septem sunt, alterâ vice crater maritatis porrigitur & residuum in humum effunditur, lætitiæ

tiæ significandæ ergo : Vasculum autem ita evacuatum sponso traditur, qui idipsum omni nisu in terram abjicit & in frusta minutissima comminui permittit, ad refricandum nempe in summa felicitate mortis memoriam, quæ ut vitrum facillimè robur viresque mortalium prosternit ac frangit; quo pacto adeoque docentur præsentes humiliter de se sentire, & huic virtuti potissimum in vita operam dare. Hac demum votiva acclamatione מזל טוב (*feliciter!*) tota ceremonia à cœtu congregato obsignatur, eaque dicta omnes dilabuntur.

V. Cœna posthæc ad comiter excipiendum consanguineos atque amicos adornatur ; invitati verò alicubi ductæ nuper donaria offerunt argentea, quidam ante, alii finito convivio ; oblationem istam donorum septem modo memoratæ benedictiones excipiunt; atque sic demum mensa tollitur.

VI. Convivio itaque soluto sponsa bene perpurgata ad sponsum, ut cum ea concumbat, adducitur, qui ex quo eam, si nempe virgo fuerit, agnoverit, ex thoro exsilit, nec amplius ei consuescere potest, nisi iterato balneo, certoque tempore elapso, quod determinaturus sum, quando ratio ordinis de maritatis agere nos jusserit.

VII. Sabbato à nuptiis proximo hora fuera Synagogam frequentant novi conjuges, uxor quidem cœtu fœminarum nuptialium stipata. Maritum autem sollicitant, legat sectionem ex pentateucho, quam ordinis ratio postulat ; annuit ille, promissisque eleemosynis haud exiguis pro favore exhibito erga egenos sese obstringit : imitatores in hoc laudabili opere comites suos habet, qui eum, cultu pietatis peracto, æque ac fœminæ uxorem ad domicilium usque pom-

pompa solenni deducunt, inde quilibet præmissa officiosa salutatione ad ædes suas remittitur. Alicubi maritus primos septem dies idem cum sua incolit domicilium, variisque generis voluptatibus atque deliciis una cum amicis animum suum oblectat ac fruitur.

VIII. Hæc itaque sunt, quæ in contractibus matrimonium spectantibus hodiè ut plurimum observantur: dantur quidem aliæ adhuc, sed non adeo magni momenti ceremoniæ, hic aut alibi usu confirmatæ.

IX. Si fœmina ἄπεκνος mortem oppetit atque extingitur, semper habetur ratio legum & consuetudinum regionis istius, ubi obtingit casus ejusmodi fatalis.

CAPUT IV.

Momenta quædam observanda à fœmina matrimonium initurâ; idem de pœna, qui virginem corrumpit.

I.

Juvencula quædam minor decem annis, * sive ad huc gaudeat parente vivo, sive minus, vidua facta aliique viro consentientibus matre quoque ac fratribus desponsata, matrimonii hujus lege & nexu, si forsan sponsi mores & indoles ipsi displiceant, sese liberare potest, ex quo nempe hondum attigerit annum 12. cum uno die; ab hoc tempore enim nomine fœ-

* *Iudæi liberos suos pueros adhuc desponsare solent, licet complementum matrimonii aliquamdiu differant, atque de hac conjugii specie hoc loco nobis sermo est.*

fœminæ salutatur. Sufficit interea puellam, dum nempe adhuc est infra annum duodecimum, simpliciter nullis additis rationibus negare, sese hunc pro marito suo agnoscere; ad quod proinde confirmandum duos sibi adscisit testes, quorum munus, ad acta publica hanc referre repulsam. Quibus ita ad exitum perductis alii, qui gratus ei acceptusve est, nubere potest.

II. Quicunque per vim, aut aliam viam nec justam nec licitam virginem corrumpit, cogi potest à judice, imprimis cum pater & vitiata consenserint, uxorem istam ducere, nec unquam eam repudiare potens est, vi mandati, quod hac de re extat Deut. 22. aut soluta certæ pecuniæ summa defloratæ hac ratione ob vituperium illatum satisfacere tenetur.

CAPUT V.

De fœminabus fluxum sanguinis patientibus; nec non de puerperis.

I.

Fœmina, quamprimum animadvertit dolorem menstruum vel menses suos, hoc de moneat maritum suum necesse est, qui ideo sejunctus ab ea vivere tenetur, neque ulterius illius consuetudine frui potest: ita porrò nil ei dare, aut ab uxore oblatum accipere in manus suas; sic neque assidere uxori nec cibum capere ex eadem paropside; aut bibere cum illa ex eadem vitro licitum marito est.

II. Quando fluxum sanguinis in fine quinti dici sisti observatur, (si enim ulterius instaret malum, ultima ejus attendi omnino oportet,) mutari lintea, candidisque iterum sterni lectum curat uxor, & septimo

mo die à munditie suâ resecat, eluitque ungues; lavat se quoque & pectine crines demulcet; hinc adit balneum aquâ vivâ constans & profluente, aut pluviali nec aliunde advecta. Balneum minimum trium cubitorum extensionem in altum, unius autem respectu latitudinis, habeat necesse est; alias enim laudem minime mereretur. Defectum balnei aliquando supplere potest fons, rivus, ipsum etiam mare vastissimum, aut puteus quidam. Totam denudatam oportet subire aquam, ne minima quidem corporis parte exempta; eò usque, ut si annulus in digito prohiberet transitum aquæ ad minimam carnis illius particulam, quam ambit annulus, lavacrum istud nullius habetur precii: Detrahendus proinde annulus reiterandusque est baptismus. Interea dum menstruata balneum petit, mulier quædam custos adest, observans, num etiam aquæ penitus immersa, beneque perpurgata sit. Atque his ad eum modum peractis redit mulier ad sua, & cohabitare ut ante, quamdiu nempe ab hoc malo libera est, marito suo potest.

III. Puerpera æque ac illa, quæ mensibus laborat, remotam à marito vitam degit. Si puerulum enixa est, per septem septimanas; sin filiolam, per integros tres menses domi inclusa ac à consortio tam mariti sui, quam aliorum hominum exclusa remanet. Alibi breviori temporis intervallo separatio illa circumscripta est. Septem diebus ante terminum præfixum mutatâ linteâ supellectile, balneum juxta ea, quæ modo à me observata sunt, frequentat, quo pacto communionem cum marito suo aliquantisper omissam renovare iterum potest.

CAPUT

CAPUT VI.

De zelotypia & divortio.

1.

ANtiquitus maritus zelotypia correptus participem huc usque connubii, sed jam suspicione gravatam uxorem ad sacerdotem deducebat, qui eam aqua certi generis potabat, quâ assumpta, si noxia erat, disrumpebantur ilia ipsius; innoxia contra salva & incolumis evadebat, sicut idipsum scriptor divinus fusius prosequitur cap. 5. Num. Sed hodierno tempore zelotypia si quis laborat, interdicit suæ, ne oculos conjiciat in eum, in quem suspicione jam commotus est. Cæterum si contingat, illam nihilominus malè audire, ita ut indicia adulterii satis manifesta luculentave contra eam allegare possint; v.gr. quod cum mœcho inventa sit & quidem in ipso flagitio; tum itaque urgetur maritus à magistris, etiamsi invitus, ut mulieri repudium nunciet, seque ab ea in perpetuum separet. Qua ratione autem hoc ipsum fiat, paulo infra prolixius discutiendum erit. Interea repuditatæ non negatur iterare connubium: modo non nubat illi, qui divortii occasionem dedit.

II. Etiamsi uxor ita instituat ac moderetur vitam suam, ut nullam de se conquerendi marito suppeditet materiam, repudiare tamen illam * potest, si vel minima solum satietas aut fastidium mulieris eum ceperit; uti hoc ipsum clarissime liquet Deut. 24. v. 1. *quum quis ducta uxore fuerit maritus ejus, fueritque, si non invenerit gratiam in oculis ejus, &c.* nihi-

* *à multo tempore & in Græcorum Ecclesia mos dimittendi uxores invaluit.*

nihilominus tamen quod alias licitum, non est statim effectui dandum; adeoque quoque nemo illico ob zelum & objectionem quarundam, etiam leviſſimarum, noxarum repudiare matrimonii ſociam debet. Hinc & doctores, ad coercendum aliquo modo nimiam libertatem iſtam, multas legis actiones ordinarunt, quæ multum temporis efflagitant, unde ſæpe efficitur, ut ante exarationem literarum divortii partes litigantes pœnitentia ductæ ſecum invicem in gratiam redeant ac conciliationem admittant.

III. Formula libelli repudii, appellata à noſtris גט, * literis mandatur à ſcriba quodam, præſentibus uno aut pluribus magiſtris doctis ac eruditis, expreſſaque extat in membrana quadam, juxta regulam probè exacta conformataque: ac ſane duodecim omnino lineis tota abſolvitur, non pluribus nec paucioribus. Exaranda itidem eſt cum literis quadratis. Aliæ porro minutiæ, eæque infinitæ tum qua characteres formamque ſcribendi, tum qua nomina & cognomina mariti & uxoris hic attendendæ veniunt. Denique ſcriba, doctores ac teſtes neutri diſſidentium ſanguine conjuncti eſſe debent.

* *Extat in Talmude tractatus, in quo de divortiis agitur,* גיטין *dictus.*

IV. Ecce tibi argumentum formulæ repudii; *Hoc N. die, menſe, anno & loco &c. ego N. N. ultro ac ſponte repudio, dimitto & pronuncio te N. N. liberam, qua ante hac conjux mea fuiſti: concedo ſimul, nubas poſthac juxta placitum tuum.*

V. Literis ad eum modum expreſſis formatisque, ſubtiliſſimis Magiſter præſens maritum exercet quæſtionibus, ut innoteſcat, num ſponte ad hoc, quod facit, feratur, an ſecus.

VI.

VI. Curant præterea, ut minimum decem alii, iique viri fide digni, huic adsint actui, præter duos testes invitatos, qui literas obsignant; hisce supperadduntur adhuc alii duo, qui dicuntur testari diem, quo prædicta omnia gesta sunt.

VI. Hisce finitis mulieri præcipitur à Rabbino, ut manibus apertis explicatisque, ne forsan in terram delabatur, libellum repudii recipiat: cui proinde maritus semel adhuc quæstionibus vexatus membranam exhibet, hisce additis; *en dimissionem tuam, Hisce literis ego me à te separo & libero te à fide conjugali, qua huc usque mihi adstricta fuisti: nubas posthac ei, qui tibi ad palatum erit.* Mulier interea libellum acceptum Rabbino tradit, qui semel adhuc formulam istam prælegit; atque sic libera illa pronunciatur; infinitis præterea actus iste scatet minutiis, quas lubens omitto, ad evitandum fastidium, quod facillime Lectori inter legendum obrepere posset, quæque in hunc finem, ut modo monui, inventa sunt, ut dimissionem reddant difficiliorem.

VIII. Dimissa ita à Rabbino adhuc monetur, caveat sibi, ne, cum forsan conceperit, intra tres menses cum alio matrimonium ineat. Simul quoque prospicitur, ne amplius easdem incolant ambo ædes, ex quo conjugium ipsorum dissolutum esse declaratum est.

CAPUT VIII.

De יבום & חליצה.

I.

VIr diem obiens supremum sine liberis, sive ex genuinâ, sive ex muliere aliena, si tamen post se relinquit germanum, hic ipse in derelictam jus po-

potestatemque sibi acquirit; ita ut eam in matrimonium sibi adsciscere possit; aut si ipsi non sit volupe, largitur, ut cum alio pactum conjugale contrahere queat: quemadmodum hoc ipsum tot verbis consignatum extat Deut. 25. v. 5. *Si habitantibus fratribus pariter moriatur primus ex iis, cui filius non sit, ne nubito uxor mortui foris viro extraneo: levir ejus congreditor cum ea, & ducens eam sibi in uxorem leviri officium præstato ei.* Sin defunctus plures una fœminas relinquat, frater demortui non nisi cum una matrimonii solennia celebrare potest; cumque plures vita functus habuerit fratres, non nisi natu maximus in jus succedit, viduamque vel pro uxore agnoscere, aut etiam dimittere potest.

II. Viduarum nuptiæ veniunt nomine יבום, quod idem est ac *leviri vel affinis proximi jus præstare*; cui satisfieri putatur à nonnullis, si tantùm matrimonium uxores fratris morte deleti affectarint, non item consummarint. At juxta magistrorum placita hæc matrimonii species eodem pacto implenda est, atque reliquæ: quo pacto tum quoque omnia demortui bona ad ipsum levirum redeunt: imo vendicat hic sibi & dotem, quam olim attulit demortuo: atque sic vera ipsius uxor est & salutatur.

III. Olim vel maximè qui fratriam ducebat, laude afficiebatur: contra vituperabantur, qui conjugium illius abhorrebant: enimvero hodierna ætas avaritiæ ac voluptatibus admodum addicta formæ venustatem fortunasque ipsi pietati fratri debitæ anteponit. Unde perpauci huic præcepto observantiam præstant, imprimis ex Germanis & Italis, utpote qui malunt eas liberas esse, quàm sibi matrimonio jungere.

IV. Appellant vulgò hocce libertatis genus חליצה, (*discalceationem*) cujus ritum descriptum invenies Deut. 25. ubi præcipitur, ut ei, cui non placuerit gloriem suam ducere, coram & in conspectu seniorum exuat fratria calceum exspuatque in humum ante ipsius faciem. Hodie ita procedunt; Doctorum tres una cum duobus testibus vespera proximè antecedente locum huic actui aptum seligunt. Postridie verò precibus matutinis adimpletis Rabbini ante laudati simul cum binis testibus magnaque hominum turba stipati locum suum occupant, jubentque comparere coram se viduam cum mariti defuncti fratre, qui ambo precibus efflagitant ab assessoribus judicii hujus solutionem vinculi, quo sibi invicem aliàs obstricti erant. Is igitur, qui inter magistros assidentes primas tenet, fratrem defuncti multis vexat interrogatiunculis, neque cessat cohortari hominem ad matrimoniũ cum derelictâ contrahendum; postquam autem animadvertit, eum pertinaciter inhærere proposito, adhuc pauca quædam alia ex eo percunctatur. Examine absoluto levir calceum quendam Rabbinorum præsentium, aptum pedibus suis, induit: mulier interea ad eum accedens, adjutaque à magistro ita eum affatur, dialecto nempe Ebræa ex capite modo citato 25. v. 7. *renuit levir meus excitare fratri suo nomen in Israele, noluit leviri officium præstare mihi.* Ad hæc ille respondet, ex versu sequente, *non placet mihi ducere istam*: tunc mulier in humum sese demittens exuit levito calceum, eoque abjecto exspuit ante faciem ipsius, ac pergit ope magistri ita porro loqui: *Sic fieri debet viro illi, qui non volet extruere domum fratris sui, & vocabitur nomen familiæ in Israele familia exuti calceo.* Eaque duabus adhuc repetit vicibus,

bus, quam turba assistens adjuvat, sæpiusque reiterat illud: *Calceo exuti.* Postmodum à Rabbino libera proclamatur mulier, conceditur que ei, nubat pro lubitu suo; in hujus rei certitudinem literis, dum petit, instruitur, & quidem nomine publico. Minutiæ omnes hac occasione etiam leviſſimæ quæque observandæ primos ortus suos debent 25. c. Deut. utpote ad quod majores in hoc casu diligentissimè attendere.

V. Quum autem jure leviratus seu יבום nonnulli infruniti homines abutantur, utpote qui, ut extorqueant modo à fratriis pecuniam, eâque illas emungant, excruciare miseras, illasque sub spe matrimonii mora diuturna fallere solent, quo pacto mulier nec dote suâ frui, neque etiam vinculo, quo leviro hucusque adstricta est, solvi potest: Hinc factum, ut parentes, dum filiam suam viro, cui fratres sunt, elocant, hanc pacto dotali notulam inseri curent: filiam viduam à morte mariti, non teneri à parte sua pactum leviratus observare; sed libertate omnino gaudere. Alii maritum lecto affixum adoriuntur, eumque, si juxta Medicorum effata vita periclitetur, eo adigunt, ut vivus adhuc uxori repudii libellum impertiatur, ne frater posthac jus leviratus in istam sibi vendicare possit.

CAPUT VIII.

De Circumcisione.

I.

PAtrem filii recens nati amici ad contestandum, quanto gaudio propterea affecti sint, voce gratulabunda excipere solent. Apud nonnullos in more positum est, minutas quasdam schedulas in quatuor conclavis illius, ubi puerpera commoratur, angulis

locare, quibus inscripta hæc verba : *Adam, Eva: facessat hinc* לילית, * una cum nominibus trium angelorum : ita namque prætendunt infantulo à nullo incantamento periculum esse. Interea nemo stricte istud observare institutum tenetur : quippe magis illud superstitionem, quam præceptum redolet.

* *Hoc nomine, juxta Iudæorum commentum, quidem prima Adami uxor appellata fuit, quæ cum affectaret dominium, semperque marito suo refragaretur, Adamum ad ultimum deseruisse dicitur, opeque præstigiarum æthereas occupasse sedes. Spectrum noctu visum esse putatur, insidiasque struere creditur puerperis atque infantibus, nuper in lucem editis; Latinis ejusmodi idola dicuntur striges, lamiæ.*

II. Curare patri incumbit, ut filiolus die octavo circumcidatur; quemadmodum ita docet mandatum divinum Gen. XVII. *natus dies octo vobis circumcidatur omnis mas.* Idem repetitur Levit. XII. *die octavo circumciditor caro præputii ejus.* Dies octavus verò sacris hisce destinatus anticipari non debet: recte tamen differtur, si ita jusserit infantis imbecillitas, usque dum pristinam recuperet sanitatem.

III. Nox actum circumcisionis proxime antecedens rectè vigiliarum nomen meretur: eam namque tota domus insomnem trahit, atque excubias agit pueruli gratia, cujus cura agitur, salusque unicè intenditur. Patrem quoque hac vespera familiares; puerperam vero mulieres salutant: transigiturque ita totum tempus benigna exceptione, summaque lætitia.

IV. Jamque electi sunt & susceptor, qui dum sa-

cra

cra circumcisionis peraguntur, ulnis suis infantulum excipit; & mater lustrica, quæ ad Synagogam usque eum defert, iterumque domum deducit. Ad hoc humanitatis officium suscipiendum duo communiter patris & matris consanguinei, utriusque sexus, invitantur. Ad præputium infantis amputandum quidam מוהל, ab officio ita dictus, pro arbitrio eligitur. Ille de cætero dignus est ad hæcce sacra administranda, qui munus illud suscipere aptus judicatur: maximi enim momenti res est, agere circumcisorem, cujus honoris & ipse parens particeps fieri potest. modo bene hanc artem calleat, & ex ordine circumcisorum sit.

V. Summo mane in Synagoga aut in ædibus, si ibi forsan solennia hujus actus celebrare animus est, præsto sunt duo sedilia, sericis adornata pulvinaribus; unum illorum patrinus, alterum verò Elias Propheta, uti à nonnullis creditur, occupant; hunc namque semper istiusmodi actui, sed modo aciem oculorum fugiente, adesse pro certo habent, summo amore ac reverentia erga legem permotum. Frequentia multitudinis undique confluentis actus redditur solennior; tunc vero ingreditur מוהל, instructus paropside, in quo condita asservantur instrumenta, & si quæ præterea necessaria sunt: v. g. novacula, pulvis astringens, lineum tomentum, oleumque rosaceum. Hisce à nonnullis adhuc adjici solet scutella, sabulo minutissimo impleta, in quam abscissum immitti suevit præputium. Porrò cum advertunt matrem adesse lustralem, quæ corona mulierum stipata infantulum affert, præsentes cantu omnia replent, mulierum tamen nulla Synagogam ipsam ingredi audet. Mater igitur lustralis ante fores

consistens puerum susceptori tradit, cui advenienti tota concio summo applausu acclamat, ברוך הבא, (*benedictus novus hospes.*)

VI. Susceptor loco suo occupato infantulum in sinum suum recondit: solvit deinceps מוהל fascias, (sunt qui forcipe utuntur argenteo, quo nempe apprehendunt, præputium abscindendum;) prehendit novaculam & inquit: *benedictus sis tu, ô Domine, qui præcepisti nobis circumcisionem.* Hoc voto præmisso illicò crassam illam præputii cutem præcidit, unguibusque pollicum cuticulam adhuc aliam paulo delicatiorem discernit. Parens interea summas DEO reddit gratias pro sacerrimo hocce instituto, quem multitudo circumstans precibus suis, DEO commendat, ut diu superstes ipse sobolis curam suscipere queat ad annos usque pubertatis. At מוהל interea in eo occupatus est, ut succu eliciat sanguinem superfluum, idque duabus vel tribus vicibus, quem vicissim exspuit in vasculum vino impletum. Vulneri postea infundit draconis sanguinem cum pulvere coralliorum, aliisque ad sistendum sanguinis fluxum: addunt præterea linteum multiplicis plicaturæ, oleo rosaceo respersum, quod vulneri obducunt: atque sic tandem satis cautè obvolvitur plaga, tegiturque involucro.

VII. Istis itaque ad hunc modum absolutis, circumcisor craterem vino plenum in manus suas accipit, eoque benedictô aliam adhuc, quam impertitur recens circumciso, pronunciat benedictionem, eique nomen, quod quidem jussit parens, imponit, recitans simul ista Ezechielis XVI. *dixi tibi in sanguine tuo vive, &c.* quæ dum eloquitur, una labra nuper nati humectat vino commixto sanguine succu cli-

elicito, recitaturque Ps. 128. integer, hic nempe: *beatus quisque timens Iehovah.* Susceptor dein matr illustrali reddit pusillum domum ad matrem deducendum. Reliqui, qui simul huic ceremoniæ interfuere, sub ipsum discessum hoc pacto patri gratulantur; Utinam ita vegetus validusque posthac adesse possis nuptiis filii tui; quemadmodum salvus ac incolumis hodie sacra circumcisionis ipsius celebrasti.

VIII. Puerperam, qui munus circumciforis sustinuit, condimentis aut alio donario recreat: idem & patrinus ac mater lustralis agunt, cum consanguineis reliquis atque amicis. Si parentes inopia forsan laborant, sublevantur pecunia juxta cujuscunque beneplacitum.

IX. Eodem mane convivio optime lautissimeque, quoad fieri potest, adornato excipit parens circumciforem, susceptorem, matrem lustralem cum reliquis sanguine junctis atque familiaribus. Mensa sublata gratiarum actioni subjunguntur preces pro infante, jam jam sacris initiato, quibus à DEO sollicitant; *Adolescat videlicet puerulus, vitamque transigat in pietate summaque felicitate.*

X. Spatio viginti quatuor horarum à circumcisione elapso infans communiter pristinæ sanitati restitui solet. Dantur propterea, qui, ut edant publica gaudii sui documenta, consanguineos amicosque suos in fine diei tertii condimentis honorare ac beare solent.

XI. Filia in lucem editâ, nihil ceremoniarum hucusque memoratarum adhibetur; tantum mater, ex quo convaluit, sub ipsum mensis initium Synagogam frequentat; ubi cantor filiolæ benedicit, ei-

que nomen indit à patre puellæ destinatum. Apud Judæos Germanos mos obtinet, ut ædes puerperæ adeat cantor, ubi filiolæ ex incunabulis quodammodo elevatæ benedicit, nomenque impertitur. Antequam hinc discedamus & illud observandum esse putamus: dari, qui puerulum, si ante diem octavum desierit esse, beneficio cannæ seu arundinis carnem præputii abscindunt, atque ita in humum recondunt.

CAPUT X.

De Primogenitorum redemptione.

1.

SI partus primò à puerpera in lucem editus puer est, sacerdos sibi in eum jus vendicat; sive jam certum agnoscat patrem; sive etiam ex peregrina natus sit; uti jam supra observatum, vi mandati, quod exstat Exod. 13. v. 2: *consecra mihi omne primogenitum*, item v. 13. *omnem primogenitum humanum ex filiis tuis redimito, &c.*

II. Paucis itaque ceremoniæ istius processum perpendamus, opus est. Invitatur aliquis ex Aaronis familiâ, ex quo infans 30. dies explevit, is nempe, qui plurimum gratia apud patrem valet, cum aliis pluribus. Concursu ita facto à patre in patera aut pelvi multum affertur auri, argentique; sacerdoti item sistitur puer à brachiis ipsius excipiendus, qui proinde, ulnis suis infantem sustentans, ita alloquitur matrem: *Puer hicce, mi mulier, num ad te?* cui illa; *omninò. Habuistine*, pergit sacerdos, *antehac alios quoque utriusque sexus infantes? num etiam abortum, aut alium immaturum unquam edidisti partum?* ad quæ mulier; *nunquam. Sciat igitur*, ad-

dit

dit sacerdos, *infantulum hunc velut primo natum ad me spectare* Mox oculis in genitorem defixis istum hoc modo affatur: *Si volupe tibi est, retinere puerum, fac redimas. Vis vero auri argentique,* reponit parens, *quam vides, non alio quam hoc fine in praesenti tibi à me offertur. Certo igitur,* replicat sacerdos, *tecum statuisti, lytrum pro eo solvere? Volo,* respondet parens; ad quod Sacerdos voce elata, facieque cœlum versus obversa; *bonum,* inquit, *factum: hic primogenitus merito ac jure ad me spectabat juxta effatum divinitus pronunciatum* Num. 28. v. 16. *redimendos autem illorum à nato uno mense redimi jubeto quinque argenti siclis, &c. at contentus nunc sum munere illius vice oblato, &c.* Sic itaque duos circiter pro beneplacito accipit aureos; infantem verò liberum, neminique mancipatum parentibus tradit, qui reliquam diei partem cum suis alacri, erectoque transigunt animo.

III. Si parentum quidam ex stirpe sacerdotum aut Levitarum majores agnoscat, redemptione non est opus, & ab hoc onere prorsus immunis est.

CAPUT XI.

De Informatione juventutis; nec non de pubertate.

I.

Quamprimum puer animi sui sensa recte edere discit, statim lectioni ac interpretationi scripturæ eum assuefaciunt, adhibita hoc fine lingua regionis, in qua educatur; neque enim ab initio suos Grammaticæ Doctrina, quam appellant דקדוק, farigant; verum eam, cum decimum circiter annum agit, puer,

si ipsi cupido, addiscit, cujus tamen * usus hodie vel exiguus, vel nullus plane est inter nostros, cum plerique, imprimis Germani, industria sua & beneficio assiduæ exercitationis Hebræo idiomate, absque Grammaticæ subsidio, loqui & scribere, legere item ac libros componere norunt.

* *Hinc Iudæorum perpauci apti nati sunt literas Hebræas aut Rabbinicas juvenum animis instillare.*

II. A lectione scripturæ progrediuntur perscrutari sacri codicis interpretationes; v. g. R. * Salomonis commentaria: compendia item de ceremoniis & consuetudinibus gentis nostræ, cujusmodi dedit Rabbenu Moyses ** & cum illo alii; quorum scripta tamen exarata & impressa extant sine punctis vocalibus. Præterea aliud loquendi genus amant, quam quo scriptura *** utitur: propterea etiam non nisi per usum creberrimum, multâque devoratâ molestiâ notitia ipsorum comparatur.

* *Gallia debebat ortum; clarissimus alias scriptor ob egregia in scripturam & Talmud edita monumenta & notas.*

** *R. Maimonides ille est, satis inter suos laudatus, utpote qui vastissimum Talmudis opus, in nucleo quasi, summo cum judicio exhibuit; idiomate usus quidem Hebr. Rab. sed puro facillimoque.*

*** *Posset quidem stylus Rabbinicus ad regulas grammaticales revocari, iisque conformari; verum res ista non caret difficultate.*

III. Juvenum, qui sunt præclaro ingenio, ab hinc

hinc mox transitum ad משנה, aliosque tractatus Talmudicos parant; huc namque potissimam industriæ suæ partem referri debere putant. Reperiuntur tamen, qui aliis quoque incumbere studiis non negligunt: quemadmodum hoc observatum cap. 11. part. 11.

IV. Ex quo filius adolescens 13. annos una cum uno die absolvit, ex ephebis excessisse, virilemque adeptum esse ætatem putatur, ac simul legis tenetur observare præcepta. Ideo vocari quoque solet בר מצוה; vel ut aliis placet מניך * Sane qui hosce annos attigit, justam agendi, pactumque cum aliis ineundi ætatem consecutus esse censetur, nec sub tutela atque obedientia curatorum, si quos habuit, amplius hæret, sed libere agit & dispensat tam in iis, quæ fortunas ipsius, quam quæ animæ salutem concernunt. Quod ad filias, postquam 12. annos cum dimidio explevere, fœminæ salutari possunt.

* מניך *id est numerus. Composuit R. Moyses librum quendam, qui inscribitur* סְפֶר הַמִּצוֹת *(numerus præceptorum;) intelliguntur nempe, quæ Iudæi præstare tenentur.*

CAPUT XI.

De obsequio sanguine junctis, aliisque debito.

I.

Liberi Judæorum firmiter tenent, incumbere sibi reverentiam & obsequium exhibere parentibus, vi mandati divini: *honora patrem tuum & matrem tuam:* idem & magistrorum solertiâ satis prolixe dilucidatum & expositum est, non solum quod ad

honorem vivis præstandum pertinet; sed & de eo, qui vitâ jam defunctis debetur.

II. Præscribunt pariter iidem certas vivendi agendique regulas, quas pater in liberis educandis strictim observare studeat, ne nimium indulgendo paterna vilescat authoritas.

III. Ex eodem præcepto quarto & hoc sua sponte fluere docent, honore obsequioso cum noverca & fratrem natu maximum afficiendum esse; majorem item cultum deberi præceptoribus, qui in pietate fidei suæ commissis instillanda serio occupati sunt, quam parentibus, qui solum luce hac frui dedere; hisce namque solum vitam deberi ajunt; iis verò, quod bene instituatur juventus; reverentiam non minus in sermone quam externis gestibus erga viros doctos & senio confectos, licet non sint ex populo Israelitico, elucere in juventute debere præcipiunt; ideo quod ex diuturnâ conversatione multum in vita humana observarunt, propriaque edocti experientia cognoverunt: *in decrepitis sapientia & in longitudine dierum intelligentia.*

FINIS PARTIS QUARTÆ.

Cere-

Ceremoniarum & consvetudinum hodie Judæos inter usitatarum

Pars Qvinta.

CAPUT I.

De Judæis hæreticis, una cum supplemento, in qvo agitur de Secta Karraorum & Samaritanorum.

I.

IN diversarum hæresium originem, qvæ paulò ante templi secundi destructionem erupere, in præsenti inqvirere minimè mihi animus sedet. Huc potiùs omnis opera mea in præsenti opusculo spectat, ut tantum rerum hodiè oblatarum rationem habeam. Una proinde ex omnibus hæresibus, qvæ antiqvitus viguere, ad nostra usq; * tempora reservata est. Assectæ, qvi eam fovent, utut satis rigidi legis Mosaicæ sectatores sunt, nihilominus tamen à nostris probroso hæreticorum nomine afficiuntur, dicunturqve קראים à מקרא, qvæ vox ipsum textum biblicum designat. Fundamentum denominationis in eo situm, qvoniam tantum * * qvinqve libros Mosaicos agnoscunt, atqve amplectuntur, cosqve juxta literam accipiunt & interpretantur, neglectis doctorum expositionibus, paraphrasibus, & constitutionibus.

* Obli-

* *Oblivisci videtur Autor Samaritanorum: consulatur igitur supplementum.*

** *Conflictum idipsum est, ut ex inferius dicendis, præcipue in supplemento, constabit; ubi multa à me, quæ à communi sententia in hoc negotio abludunt, emendata reperies.*

II. Qvandoqvidem ne latum quidem ungvem à literali S. literarum sensu discedunt, ex posteris quidem Sadoci, sed emendati paululum videntur esse. Negari alias nequit, Sadducæos, sectam pestiferam, animæ immortalitatē, & consequenter paradisum, infernum, purgatorium, resurrectionem, aliaqve sanctè credenda, pessimè olim negasse. Karraitæ contra omnibus istis veritatibus hodiè assentiuntur, & hoc qvidem ad evitandum reliqvarum sectarum odium, qvo majus omninò inhærendo adhuc majorum erroribus facillimè sibi conflare possent. Præterea antiqvissimas nonnullas recepere traditiones, ut eò magis sese reliqvis probent Judæis; utpote, quibuscum de uno nomine contendunt, & gloriantur. Nullum interea dubium, primam ipsorum originem ad Sadducæos * referri debere; qvin & constat, de hac Secta omninò fuisse ipsos, anteqvam sub uno nomine cum cæteris Judæis latere cœpere.

* *At in hocce à veritate abludit. conf. Supplem.*

III. Constantinopoli, Cairæ & alibi in oriente, qvin & in vastissimo Russorum Imperio hoc hominum genus datur, in qvibus locis omnibus peculiare vitæ institutum servant; suas sibi exstruunt Synagogas, suis qvoque distinctis gaudent ceremoniis, & consvetudinibus: appellant se Judæos atqve prætendunt,

se

se solos veros ac genuinos legis à Moyse traditæ custodes & discipulos esse.

IV. Vocant Judæos à se dissentientes רבנים (id est *Sectatores Doctorum*,) qvi odio plus qvam Vatiniano infectantur Karræos; nolunt cum iis in gratiam redire; omnem ipsorum conversationem fugiunt; habent denique ipsos pro ממזרים (id est *pro natis spuriis*) eo qvod despiciunt, & simpliciter repudiant omnia Rabbinorum consilia & responsa in negotio conjugii, repudii & mundationis mulierum. Et sanè tanta in Karræos Rabbanistarum exacerbatio est, ut siqvi Karræorum ad reliqvorum Judæorum sacra pertransire velint, arcentur, & ab omni aditu intercluduntur.

SUPPLEMENTUM,

In qvo disseritur de Karræis.

I.

INitium ortus Karraismi exactè dare, difficultatibus non exiguis implicatum est. Seculo octavo primò sectam hanc innotescere cœpisse D. Morinus, qvi hanc ventilavit qvæstionem, Autor est: & qvidem, ut ait, statim à promulgatione Talmudis, quod multò seriùs qvidem, atqve Judæi sibi imaginantur, in publicum evolasse idem prætendit. Neqve in hoc Morinum errasse fatemur; qvippe non ante tam detestabile Judæis fuisse nomen Karræorum liqvet, qvam quidem ab isto tempore esse cœpit. Potiùs primis temporibus vox קראי in bono sensu accepta designabat virum absolutæ perfectionis, in assequendo vero legis sensu. Vera proinde sectæ hujus primordia

inde

inde à condito Talmude deduci debere, haud vanis nixi rationibus inde auguramur, qvod nempe Judæi ævi Talmudici longè clarissimi sese opponerent infinitis istis deliriis, qvæ sub pulcherrimo ac specioso traditionum Mosaicarum nomine venditabantur, miseramqve decipiebant plebem: siqvidem plerasqve traditionum doctorum qvorundam ambitio, qui pronunciata & concluſa ſua pro oraculis in monte Sinai datis accipi & æstimari volebant, pepererat ac post in lucem protruserat; qvas cum prudentiores rejicerent, & scripturæ autoritate, quam appellant מקרא, ad destruendas istas uterentur, nomen Karræorum inde sortiti sunt. Pari ratione atque hodiè videmus, Protestantes Evangelicorum nomen sibi vendicasse, qvum prætexere audent, rejectis omnibus traditionibus soli Evangelio standum esse.

II. Judæi proinde, qui pro decretis Talmudicis, tanquam pro aris & focis, pugnabant, Scripturarios hosce in Samaritanorum & Sadducæorum classem referebant, non ac si in omnibus cum iis consentirent; sed quod ad momentum traditionum attinet, illorum viderentur premere vestigia. Interim seqvioribus temporibus exstitere Judæos inter, qui fabulam veram esse putarunt, Karræos reverà Samaritanorum & Sadducæorum progeniem esse; qui error eò firmiores radices in eorum animis egit, ex quo, ignari rerum gestarum, admodum rarò historiæ & chronologiæ operam dare cœperint. Auctor præsentis opusculi, qvem non fugiebat, Karræos hodiernos minimè eandem cum Samaritanis profiteri fidem, ad incrustandum tamen suorum opinionem, ne prorsus causa cadere videretur, novam quandam Karræorum sectam effingere conatus est, prætendens simul, antiquio-

antiqviores sectæ propugnatores eosdem fuisse cum Samaritanis & Sadducæis; novitas autem qvodammodo immutasse ac mitigasse veterum placita utiqve rigida. Verum hæc Judæi nostri sententia nititur crassâ qvâdam, putidâve ignorantia Judaicâ. Rationes, quas affert ad adstruendum opinionem suam, nimis infirmæ sunt, neqve satis probant id, quod quidem debebant.

III. Plerique ferè Criticorum nostrorum in insignes, ob nimiam credulitatem suam, qvam in hoc negotio libris Judaicis adhibuere, errores delapsi sunt, justasqve adeò credulitatis suæ dedere pœnas: Siquidem à Rabbanistis, hostibus Karræorum infensissimis, eorumqve commentis circumventi, atqve decepti fuere. Longè alia mens erat Morini nostri; non erat ipse verborum fabulis inescatus; neqve figmentis istorum utebatur: potius vestigiis Auctoris cujusdam Karræi in Pentateuchum inhærebat, & sequebatur. Et qvum ipsius beneficio thesaurus iste ad me delatus sit, excerpam inde, quæ spectant tum ad sectam ipsam curatius cognoscendam, tum ad differentiam ejus à Rabbanistarum cœtu penitius enucleandam. Initium faciam à dogmate fidei Scripturam Sacram concernente, ubi videtur noster Karræos committere, & confundere cum Samaritanis, solum Pentateuchum pro verbo divinitus revelato agnoscentibus & amplectentibus: Quo in erroris luto plures adhuc hodiè, qui nomen suum eruditos inter profitentur, hærere novi. Et certè ignoro, unde hausit Doctor qvidam Sorbonicus, Professor linguæ Hebrææ Regius, qvæ de hoc argumento paucis abhinc annis in orbem literarium emittere non dubitavit. *Hic voce* קראים *istos ait significari, qui praeter*

ter consonantes nihil admittunt in S. Codice; adeoque puncta vocalia ab autoritate humana profecta esse contendunt. Idem paulò pòst repetitur, dum ita: *Karraita sensim palmam praripuere reliquis Iudæis, præcipuè qui Talmud sequuntur, & allegoriis studeant: cum à multis hoc impetrarunt facillime, ut codex sacer, punctis vocalibus instructus, profanus haberetur.* Profectò sani nihil in totò viri hujus aliàs doctissimi discursu; ita insulsa, insipida & contorta omnia sunt, uti sequentia docebunt.

IV. Commentator ille Karræus, cujus paulò ante mentio facta est, nuncupatur Aaron filius Josephi, qui decurrente ad finem Seculo XIII. adhuc in vivis erat. Is omnes 24. libros Biblicos, quotquot in canone Judæorum exhibentur, qvoque probat, iisqve suffragatur. Traditiones humanas verò, ut eas à verbo divino rectè discernat, prophetiæ nomine designat. Negat verò verba mortalium eadem cum verbo Domini pollere debere autoritate. Hoc ipso acriter mordaciterqve pungit Rabbanistas, qui anilia Talmudis commenta & putida majorum suorum deliria ipsi credendorum principio exæquare non erubescunt. Ostendit simul & demonstrat Karræos minimè, ut vulgo qvidem fertur, omnes in universum rejicere traditiones: Falsas solum, inanes, absurdasqve, quarum quædam subjicit exempla, statim ab initio operis repudiat & condemnat, ipsosque adeo Rabbanistas risui sistit & exponit, dum qvandam risu omninò dignam in medium profert explicationem, qvam Doctores Judæi, nimium aliàs qui sapiunt, statim à principio Genes. de serpente fovere solent: Scilicet mens Rabbanistarum & Cabbalistarum eò redit; *Serpente magnitudine exæquare camelum, eique inequitare*

quitare DEVM nostrum gloriosum. Latabundum unà cum שמאל (per qvem intelligunt *Satanam.*) Adducit ibidem mysticas magistrorum expositiones, qvas fortiter retundit annexâ hâc clausulâ: *ita nempe vani isti homines in explicanda Scriptura nonnisi futili majorum suorum autoritate nituntur.* Idem motu, ut videtur, iræ justissimæ abreptus væ pronunciat omnibus istis, qui ita obscœnè verbo divino abutuntur: *Maledictus*, inquiens, *omnis ille, quem non pudet, tam insolenter pervertere sensum verbi altissimi.*

V. Qvum ostendere satagit, omninò apud suos in usu esse traditiones in ratione optimè fundatas, distingvit certas & perpetuas inter & falsas, qvæque sunt fidei dubiæ. Et profectò, qvas dedit notas ad conciliandam fidem traditionibus, exactè convenire videntur cum iis Vincentii Lirinensis, viri acerrimi, summiqve judicii. Quare juxta utriusque assertum præter Scripturam ratio quoque, & traditiones in censum venire debent: Intelligit autem traditiones perpetuas, non heri aut nudius tertius natas & excogitatas. Multum, imo verò primas defert invariatæ veterum doctrinæ, consentienti cum aliis scriptis, veritati litantibus, remotæ ab omni levitate, & inconstantia humanâ, omnium deniqve Judæorum calculo approbatæ. Vi hujus principii omnes libros biblicos, æqve ut Rabbanistas, & qvod fidem omnem superat, ea, ut hodie apparent, forma punctatos suos & recipere & agnoscere noster ait: neqve enim aliis, atqve Masoretæ primitus dedere, Karraitæ instructi sunt exemplaribus: quod si quædam in lectione occurrat diversitas, criticam solum sapit accurationem, cui etiam Rabbanistarum schola non minimùm tribuit; quemadmodum hoc docent exemplis suis Rabbini

bini, & nomine & fama suos inter celeberrimi: v. gr. Rabbi Juda, Jonas, Aben Esra, Kimchius, Aben Melech, alisqve Grammaticam Judæos inter profitentes.

VI. Noster multa cum contentione sensum textus literalem investigans diversas sæpius enumerat lectiones, ad seligendum istam, quæ ad ipsius judicium quam optimè qvadrat; in qvo itidem à Rabbanistarum mente non abludit. Sic minimas qvasque, de quibus præcipit Grammatica, advertit observationes ad eliciendum ex litera sensum optimum. Tempus perderem, illarum exempla, chartæ si injicerem; Lectori namqve totum opus minutiis istis undiqve scatere & abundare haud obscurum erit.

VII. Minimè verò me detinebo, in refutanda, infringendaque istorum sententia, qui Karræos aliis, quam legitimis & usitatis uti codicibus garriunt: manet namque, totum codicem biblicum, eumqve punctis vocalibus, ut hodie extat, Masoretarum opera descriptum à secta hâc agnosci.

VIII. Credenda eadem tenent, qvæ reliqvi Judæi, simpliciſſima nempe, maximèqve à superstitione aliena. Cabbalistarum enim, & mysticorum doctorum interpretationibus nullam prorsus fidem tribuunt: utpote, quæ satis infirmæ sunt, omnique destituuntur fundamento. Noster Aaron interea satis clare, quid credat de anima & vita futura, mentem suam aperit; dum occupatus est in explicandis verbis, Genes. I. v. 1. *Faciamus hominem ad imaginem nostram:* in qvæ ita commentatur: *Anima humana cœlestium; corpus terrestrium naturam sapit atq; imitatur: illa enim more Angelorũ subsistit & conservatur.* Et paulò pòst: *Gloria futuri seculi animam humanã exspe-*

exspectat. Ex hisce velipsa luce clarius patescere puto, Karræos in fidei fundamento toto distare cœlo à Sadducæis, adeoqve integros & liberos esse à calumniis, quibus aliàs ab inimicis sœvis capitalibus peti, sed immeritò, solent.

IX. Quod ad consuetudines, ceremoniasve hujus sectæ attinet, multis hoc ipsum verbis deduci posset: at sufficiat in genere notasse, rejicere Karræos Mischnicorum & Talmudistarum constitutiones, quando revelationi contrariantur, neqve inde per necessariam & evidentem consequentiam colligi queunt. Assertum hoc clarissimum, probatissimumqve reddent exempla tria, jam jam subjicienda; qvorum primum concernit præceptum Mosaicum de מזוזה seu membranis affixis omnium januarum postibus, quas Judæi subire solent. Alterum respicit תפילין (φυλακτήρια,) quibus de præcipitur in V.T. Ultimum agit de lacte non absorbendo una cum cibo. Et licet, quod ad duo priora momenta, expresse satis loqvi videatur scriptura Deuter. VI. hoc modo: *alligabis ea in signum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos*; quæ repetuntur cap. 11. additurqve: *etiam inscribes ea postibus domus tuæ, & portis tuis:* tamen Aaron putat, figuratam qvandam in istis latere loqvendi rationem, ideoqve id DEUM indigitare vult; Israelitas perpetuò sibi, & cùm ingrediuntur ædes suas, & qvando foràs prodeunt, præcepta coram mente sistere debere. Hoc pacto infinita carere possunt ceremoniarum, non dicam superstitionum multitudine, quas Rabbanistarum arrogantia in observatione מזוזה & תפילין infeliciter exclusit. Ex dictis hactenus & illud facile intelligetur, cur Karraitæ, cum obviam iis procedat Rabbanistarum

aliqvis

aliquis תפילין capiti alligatis ad peragendum preces ſuas à riſu & probris ſeſe vix, ac ne vix qvidem continere qveant; qvia ejusmodi hominem obviam ſibi factum *aſinum frenatum* cognominare ſolent. D. Hieronymus eadem modeſtiâ excepit Judæorum תפילין; qvum enim aliqvando data occaſione incideret in iſtum locum, ubi de Phylacteriis ſermo, ita mentem ſuam exprimit; * *Phariſæi olim ſiniſtrè hoc dictum interpretabantur, cum decalogum Moſaicum in membrana qvadam exararent, frontique adinſtar coronæ alligarent, ut ita lex ſemper ipſorum oculis obverſaretur.*

* *Matth.* 23.

X. Ultimum exemplum concernit præceptum negativum de non comedendis in eadem menſa carne & lactariis; qvo trahitur à Rabbaniſtis v. 19. cap. xv. Exodi, ubiita legislator: *Ne coquito hœdum in lacte matris ſuæ.* At iterum difficilem & ἀλιγέπιστον ſeſe hic præbet Karræus noſter, neque fidem adhibere poteſt traditionibus, utpote, qvarum interpretatio nimis longè petita ipſi videtur, & à ſenſu literali quàm maximè aberrare. Convenientius hoc dictum putat explicari poſſe per iſta: ** *Ne accipito matrem cum pullis.* Rabbaniſtæ contra, quando ejusmodi locis urgentur, uti mihi non ſemel contigit, ſemper ad traditiones confugiunt, atqve continuo illud: חכמנו אמרו (*ita ſtatuunt Doctores noſtri*) in ore habent, certiſſimè perſvaſi, nullo modo majorum ſuorum interpretationem ſcripturæ ſacræ cedere, quandoquidem in ipſo monte Moyſi eam à Deo traditam eſſe ſomniant.

** *Deut.* 22. *v.* 6.

XI. Re-

XI. Reliqva aliorum præceptorum commenta, eaqve numero infinita silentio jamjam involvam & præteribo, à Rabbanistarum expositione maxima ex parte dependentia, ad quam nihilominus Karræi nullo modo attendunt. Iidem ipsi ad Rabbinorum placita minimè suas accommodant meditationes, neqve iis utuntur, dum in perscrutando sacrarum literarum sensu vero & genuino occupati sunt: siqvidem Doctores Judaici, vel minima occasione data, licentiam sibi sumunt, ante datam mutare, novamqve effingere & subjicere dicti decisionem. Karræi contra textum meditationi, sed ratione in subsidium advocata, subjiciunt: Scripturam ex scriptura illustrant, & ex antecedentibus, quæ consequntur, explicant, veraque reddunt. Paucis, respuunt omne, quod cum scriptura, ratione sana & vera non concordat antiquitate.

XII. Cumque insigni ingenii & judicii acumine valeant, minimè opinionum tenaces sunt, aut sibi ipsis placent; sed facillimos sese præbent in certis quibusdam momentis & articulis, disciplinam ecclesiasticam & consvetudines, per Magistros observatas spectantibus; licet ipsos, contrarium in scripturis edoceri, non lateat, vel ignotum sit. Ita v. gr. Fastos Rabbinorum studio compositos, rationemq; supputandi per R. Hillelum inventam constanter observant; qvum enim qvodammodo ritibus Judaicis sese accommodare Karræis opus sit, hanc præ reliquis seligere ipsis placuit consvetudinem; æqve ac Protestantium illi, qui calendarium usurpant emendatum; quamvis ei in omnibus calculum suum non adjiciunt.

XIII. Ceremoniam præputium amputandi apud Rab-

Rabbaniſtas uſurpatam non ſolùm ipſi retinent, ſed & aliqvando horum miniſterio, cum ſuos initiari ſacris volunt, utuntur. De cætero licet ipſum circumciſionis dogma ſatis clarè in S. Codice deſcriptum extat, de forma tamen hujus actus, alias ſacerrimi, ne γρὺ qvidem reperitur. Ita v. gr. Turcæ & Judæi, quanquam qvod ad ipſum ritum circumciſionis magna ex parte inter ſe conveniant, *in eo* tamen à ſe invicem differunt, quod illi, cuticula abſciſſa, nihil amplius ſibi putent agendum eſſe: Judæi contra extremum cutis, in pluribus locis, à circumciſione reſidui pollicum diſcerpunt angulis. Credo hinc eſſe, cur Judæi circumciſi, citius qvidem quam Turcæ, ſanitati reſtituuntur.

XIV. טליתא (cujus Leo Mutinenſis deſcriptionem, primâ libelli ſui parte dedit) itidem Judæi Karræi ſeſe exornant: at diverſam refert formam ab ea, qua Rabbaniſtæ utuntur: Singulari ratione enim טליתא illud præciſum eſt: reſticulæ etiam, paniculæ inſtar dependentes, longe diverſam præ ſe ferunt figuram.

XV. Dictis hucusqve hoc unicum ſolum addam, (alia namqve vice pluribus hac de re diſſerere anſa dabitur,) nunquam noſtrum ſcribere, aut allegare nomen יהוה per qvatuor iſtas literas ה, ו, ה, י, ſed tantum per iſtas י, ו, י: unde Karræos non יהוה, ut qvidem hodie textus habet, ſed יי ſemper auguror legiſſe; quæ ratio legendi nomen divinum Samaritanis aliàs à Theodoreto tribuitur. Ideo hæc allegantur, ne fortè dicatur, contractè ita ac breviter tribus literis nomen Jehovæ deſignari; qvemadmodum alibi novimus, à Judæis nomen illud glorioſum deſignari hac forma יי"; aut iſta י".

XVI. Ut

XVI. Ut verò tandem quoque perveniamus ad implacabile, quod Rabbaniſtæ adverſus Karræos concepere odium, quo de ſuperius diſſerentem percepimus Leonem noſtrum, ordinis videtur poſtulare ratio: ſiquidem ex hoc diſſidio adverſa multa & infelicia prognata ſunt; ſpeciatim averſio à matrimonio cum Karræis contrahendo, & denegatio communionis religioſæ. Unde non obſcurè conſtat, qvanto amore & reverentiâ Judæi Rabbaniſtæ majorum ſuorum traditionibus addicti ſunt. Memini relatum mihi optimâ fide, quando in oriente Karræus quidam ad Rabbaniſtarum caſtra tranſiens liberos ex ſe natos nomine & jure Rabbaniſtarum gaudere deſiderat, cum mancipio quodam matrimonium inire cogitur, ex quo liberi ſuſcepti non ממזרים id eſt *naturales*, ſed veri Judæi Rabbaniſtæ reputantur.

SUPPLEMENTUM,

Tradens Samaritanorum Hiſtoriam.

I.

JUre ac merito quidem quis miretur, quid induxerit Auctorem præſentis opuſculi, ut nullam Samaritanorum mentionem injecerit, cum tamen de omnibus Sectis, quæ hodierno die nomine Judaico comprehenduntur, ſeſe locuturum eſſe initio promiſerat. Verum qvidem, à multo jam tempore ſeparatos Samaritanos coegiſſe cœtus; aſt cum iis iſta, qvæ ſuis popularibus cum hiſce intercedit, ad hunc usqve diem nondum ſopita ſit, paucis ſectæ hujus meminiſſe potuiſſet. Ego, cum de iſtâ hoc loco verba facere occaſio ita ferat, haud prolixè inqviram in Samaritanorum ortum, utpote qvem luculenter ſatis nobis ſacræ

depingunt tabulæ. Interea pro certo habemus, eos, qvi hoc nomine in diversis terræ angulis adhuc hodiè veniunt, ad hanc sectam rectè pertinere: qvibus de etiam in præsenti solùm differere animus mihi est, & eorum qvidem mentionem facere Pentateuchus Samaritanis impressus characteribus jubet, qui in famosissimis bibliis Domini le Jay, ipsisq; Polyglottis Anglicanis extat, & deprehenditur.

II. Hodie Samaritani Gazam, Sichemum, (*qua nunc dicitur Neapolis*) Damascum, Cairam, aliosqve orientis tractus incolunt, suosqve agnoscunt Pontifices, qvorum ortum inde ab Aarone derivant. Templum, vel potiùs sacellum exstructum, ac sacrificiis immolandis destinatum, n monte Garizim obtinent. Josephus Scaliger antiquitatis Samaritanæ peritissimus, cum iis, qui Ægyptum sedem elegere, literarum instituit commercium, nec non cum summo sectæ totius Sacerdote, qvi tum temporis Sichemi commorabatur, à quibus ad omnes, quas Scaliger moverat, difficultates responsum est ipso 998. anno juxta Turcarum computum, qui respondet nostro, à C. N. 1590. Verum istæ literæ nunquam in Scaligeri conspectum venere.

III. Cæterum in prima epistolarum, jussu & autoritate totius Ecclesiæ Ægyptiacæ conscriptarum, testatum faciebant Samaritani, se singulis annis 14. mensis primi solennia Festi Paschalis celebrare, & qvidem in monte Garizim; Illumqve, qui, cùm istæ scriberentur, summi Pontificis munere defungebatur, gaudere nomine Eleazaris, filii Phineæ, filii Aaronis; ad quæstiones porrò à Scaligero ipsis propositas enodandas propiùs accedunt, qvæ cum acutè satis discussæ sint in laudatis modo responsoriis nomine Eleazari

azari,& Synagogæ Sichemitanæ Scaligero inscriptis, hac vice tantum circa ultimas hærebo literas, qvæ satis & ex abundanti nos docebunt de hodierno Samaritanorum statu. Summa igitur hujus responsi eò tendit.

1. Samaritani summo rigore Sabbatum modo à Moyse in Exodo præscripto observant. Sic nemo, in quo eum deprehenderit dies septimus, mutare debet locum, nisi Synagogam freqventando; ubi tempus legis, hymnorumqve recitatione, in honorem Numinis teritur omne. Nocte hâc, utpote sacra, nefas esse ducunt, cum femina rem habere, vel concumbere: cavent sibi itidem ab igne suscitando, candelaque accendenda. Contra qvam agunt Judæi, vim huic præcepto pro lubitu inferendo: Foras enim die Sabbati prodeunt qvoqve extra civitatem; ignem accendunt; uxoribus cohabitant; neqve, posteaquam illos contrectarunt, aqua perfundunt corpus coinquinatum.

2. Festum Paschale imprimis reverenter habent. A Sacrificio, prout divina ordinatio jubet, post Solis occasum initium Feriarum fieri solet. Sacrificia in monte Garizim, neque alibi immolant: hic præcinunt legem, precesqve ad superos mittunt, sub quarum fine toti cœtui Sacerdos magnus benedictionem impertit.

3. Ad hæc septem integris diebus Festum segetum maturarum, earumqve desectarum celebrant; sed de initio solennitatis peragendæ cum Judæis contendunt; utpote, qui primordia illius à tempore matutino solennitatis paschalis deducunt. Samaritani contra 50. numerant dies, à principio mane Sabbati illius, quod in azymorum incidit Sabbatum, quo

pacto in diluculum Sabbati septimi inseqventis messis incidit Festum.

4. Decimo mensis septimi festum expiationis peragunt. Sobrii, sicciqve omnes 24. diei hujus horas serie continua in precibus, laudibusque divini nominis consumunt. Omnes namqve à cibo, potuque abstinent, infantibus solùm exceptis, à matrum uberibus pendentibus. Ubi contra Judæi majorem sibi sumunt licentiam, dum etiam permittunt parvulis, qui nondum septimum attigere annum, cibum capere.

5. 15. mensis ejusdem Festi tabernaculorum in prælaudato monte Garizim solennia habentur.

6. Ultra octiduum ceremonia oblationis præputii juxta ordinationem divinam non differtur; Judæis è contrario moram nonnunqvam injicientibus.

7. Si noctu cohabitarunt uxoribus suis, aut alio modo polluti fuere mariti, mane immunditiem frigida abstergere tenentur; vasa itidem, quæ impuritatem contrahere possunt, per horum contactum, ni lotio interveniat, omnino coinquinari possunt.

8. Sacrificiis adimunt adipem; humero vero, maxillis & ventre Sacerdotem donant.

9. Cum neptibus suis matrimonium non contrahunt; nec plures una ducunt uxores; secus atqve Judæos agere superius à Leone indicatum est.

10. In DEUM, Moysen & montem Garizim credunt: & cum Judæi (ita ajunt Samaritani,) fiduciam suam collocant in multis aliis rebus, id nos tantum præstamus, qvod Dominus, qvi Moysis ministerio usus est, in lege sua expresè præcepit. E diverso Judæi omittunt divinitus jussa, Patrum, Doctorumqve

qve suorum statutis cœco impetu morem gerentes.

11. Dicta hucusqve sistunt argumentum literarum jussu Pontificis S. Eleazari exaratarum per Abzehutam, Gazæ incolam, filium Josephi Harmachi, qvi per istud tempus S. Sacerdoti à secretis fuerat. Illud autem non negligendum, filium hujus Eleazari nomen Pinchasi gestasse, & eandem, Sacerdotalem nempe, una cum patre adhuc vivo functionem obiisse. Iidem semper commemorantur in loco sacro, ubi ab iis, qui negotiis distenti sunt, indesinenter interpellantur, quibus & responsionem dare dignantur, convenienter regulis justitiæ & veritatis.

12. Ab Aarone ad hæc tempora usqve 122. Pontifices fuisse sustinent, qvorum catalogum in scriniis suis asservant; insimul strenuè negant, Judæos ex stirpe Pinchasi Sacerdotes ostendere posse, mendaciqve reos arguunt illos, qvod Samaritanos probroso Cuthæorum nomine traducant; qvum ex tribu Ephraimi, filii Josephi justi, sese ortos esse gloriantur; lingvâ item & literis suis DEUM Moysis legem qvondam descripsisse. Hisce demum subjecit Synagoga Ægyptiaca in responso suo, characteres, qvibus Judæi usi sunt in exaranda lege, auctorem habere Esdram in perpetuum maledictum.

IV. Majorem qvidem adhuc, accuratioremqve duæ illæ epistolæ mererentur excussionem: quæ tamen hac vice privatæ cujuslibet relinqvenda industriæ est. Mihi solum probare incumbit, sectam hanc minimè Sadducæorum erroribus infectam esse; licet hoc, at malitiosè, ei à Judæis objiciatur. Calumniæ ansam dedit traditionum Judaicarum contemptus, qvas Samaritani æqve ac Karræi recipere recu-

sabant. Hinc fluit quoque alterum absurdum, quod Samaritanos Judæi cum Sadducæis & Karræis confundere soleant. Interea credo ego, simplicissimè hujus sectæ homines legis investigare sensum, adeoqve eum qvam optimè ex iis addisci posse; qvi pariter ad hoc usqve tempus juxta primam institutionem Sacrificia in monte Garizim exhibent: qvemadmodum hoc ipsum pluribus testantur P. Morinus, & illustris Peirescius. Fateor operæ pretium esse, si cui liceret, usurpare oculis suis, & locum Sacrificiis consecratum; formam item, structuram, dispositionem & proportionem, imprimis verò dimensionem, & mensuram tam aræ qvàm vasorum, qvorum usus est in Sacrificiis justè adornandis. Nec minus jucundum esset, conspicere Sacerdotem S. habitu Pontificali indutum, imprimis in Festo Paschatis, ubi densa ministrorum caterva stipatus ingreditur. Miror, neminem nostrûm illuc iter suscipientium hujus rei visendæ cupiditatem hucusqve incessisse.

V. Qvandam historiæ Samaritanæ, à me modo recensitæ, partem confirmari video per Benjaminum in itinerario suo. Scilicet observat iste (Scriptor Seculi duodecimi,) Sichemitarum Synagogam plus 100. Samaritanis non constitisse; illam verò Cæsareæ in Palæstina 200; Ascalonitarum 300 circiter; Damascenam Synagogam verò constituisse 300 ad 400 usqve homines Sectæ hujus. Idem animadvertit, inveniri eos inter Sacerdotes ex Aaronis familiâ, qvos nomine Aaronitarum designant; hi matrimonium ineuntes ex domo & familia sua uxores ducunt, ad vitandum eò meliùs confusionem omnem; eosdem porrò dicit operam suam, studiumqve impendere in immolandis in monte Garizim sacrificiis, ubi ipsis altare

altare est ex lapidibus exstructum, qvos Israelitæ per Jordanem transeuntes, elevasse dicuntur. Subjicitidem, Samaritanos ortum suum ex tribu Ephraim ducere, & sepulchrum Josephi, filii Jacobi, ostendere, qvem pro communi parente agnoscunt & celebrant. Admodum illos ipsos cavere sibi meminit tandem Benjamin à cadaveris, aut sepulchreti contactu; habitum vestium qvoqve mutare, qvum adeunda Synagoga; lavare itidem sese, priusquam manibus aliqvid contrectant.

VI. Vera omninò sunt, quæ habet Tudelensis: non enim hodie demum gloriantur Samaritani, sese ex tribu Ephraim descendere; neqve nunc primò se genuinos Patriarchæ Jacobi nepotes esse jactitant; uti id clarissimè testatur colloqvium mulieris Samaritanæ cum Salvatore nostro habitum; qvando ita eum alloqvitur; *num tu præstantior es Patre nostro Iacobo?* Qvod ad sepulchra attinet, præter illud Josephi dormitorium, qvo de Benjaminus disserit, plura adhuc alia Prophetarum circa templum suum, imprimis verò Eleazari, & Ithamari, filiorum Aaronis, nec non Pinchasi nepotis, numerant monumenta. Pariter à se possideri ajunt Josuæ & Calebi busta, aliorumqve duorum, qvos vocant Abinonem & Josephum, qvi Patrem habuere Carathum aut Parathum. Sic servant qvoqve & ostendunt cuilibet in templo suo inscriptionem qvandam, inde ab anno 15. ab Israelitarum in terram promissionis ingressu exaratam, cujus autorem volunt fuisse Pinchasim, Eleazari filium, Aaronis verò nepotem.

VII. Cum Judæi sibi ipsis noceant, quibus alias gentem Samaritanam solent proscindere, calumniis; res cæteroqvin vituperio magis etiam, qvàm laude

digna sit: itaqve nec ego qvicqvam temporis in iis refutandis insumere operæ pretium esse duco. Accusari solent à Judæis, non tantum erroris Sadducæorum; verum & idololatriæ ab iisdem rei habentur, ac si cultu religioso in templis suis columbam qvandam prosequantur. Nec minus animus recutitorum iniqvus in eo elucet, cum tres literas ע ח ה in indice elementorum Samaritanorum desse criminantur. Potissimùm verò urgent, & gravissimum errorem esse censent, qvando Samaritanorum codex statim ab initio libri primi Mosaici, loco verborum, *DEVS creavit*, legat & substituat: אשימא *creavit.* Sed ab hac qvidem parte injuriam Samaritanis fieri, ipse oculatus testis affirmare queo. Ipse sanè pentateuchum Hebræum characteribus Samaritanis expressum possideo, in qvo satis clare tres illæ desideratæ extant literæ. Utiqve ergo æqvè ac Judæi, in Elementorum syllabo ע ה ח, numerant Samaritani: nec minus & vocem אלהים legunt, & adhibent.

VIII. Cæterum fatendum, qvinqve solùm libros Mosaicos pro avthenticis & agnoscere & venerari hæresin hanc. Josuæ qvidem historiam isti homines, cum paucis qvibusdam aliis V.T. fragmentis, itidem studiosè asservant, qvæ tamen inter nostraqve exemplaria ingens hiatus, maximaqve datur dissimilitudo. Nec fide divina illos recipiunt tractatus, ut libros à Deo inspiratos, ideo qvidem, qvod Canon Judaicus, qvi in certum ordinem, numerumqve redegit libros biblicos, eorumqve firmavit autoritatem, omninò posterior est Samaritanorum schismate; imo credunt, potissimam librorum istorum partem in gratiam posterorum Davidis compositam esse, ad vindican-

dicandum iis, conservandumqve dignitatem regalem. Unde est, qvod Esdram sannis excipiant, & velut impostorem traducant, utpote qvi, stante illorum asserto, primos ac veros, qvibus olim conscriptus erat S. codex characteres rejecit, ac peregrinos iterum assumsit, istos nimirum, qvos in hodiernum usqve diem à Judæis adhiberi novimus. Certè D. Hieronymus, & reliqvi ævi nostri Philologi longè celeberrimi, pro comperto habent, literas Samaritanas esse antiqvos & genuinos illos lingvæ Hebrææ characteres. Esdram etiam incusant, eo qvod is inde, à reditu suo ex captivitate, characterum Chaldaicorũ primus fuerit autor, qvibus hodie Biblia sacra constat exarata esse. Fieri qvoq; potuit, ut iis uteretur, ad eò fortius abalienandum animos à se invicem, ne qvicqvam ampliùs in religionis negotio inter se commune haberet utraqve natio. Norat idem non minus sagacitate sua efficere, ut populus, qvi jam jam in captivitate Babylonica lingvam addidicerat Chaldaicam, eò facilius scripturæ illius assvesceret. Sanè hoc ipsum qvoqve in causa fuit, textum originalem in idioma transferre Chaldaicum.

IX. Non aliter à se invicem discrepant pentateuchus Samaritanus & Judaicus, nisi solum characteribus. *Samaritani*, inqvit D. Hieronymus, *pentateuchum per Moysen tot literis, atque Iudæi descriptum obtinent: characteribus tantum, & punctis differunt.* Pro *punctis* extat in latino Hieronymi exemplari vox *apex*, quæ designat ductum qvendam exiguum, summitati certorum characterum ornatus gratiâ, ad instar coronæ appictum. Hoc charactere in libris, ad Synagogarum usum facientibus, utuntur Judæi, nec non in מזוזות; videturqve esse ex genere illorum, qvo

de loqvitur Servator noster Matth. V. *Iota unum aut apex non præteribit ex lege.* Puncta enim vocalia hodiè usitata, velut nuperum inventum, tum nondum fuere in usu. De cætero, qvando dixi cum S. Hieronymo, pentateuchum Samaritanum solis characteribus differre à Judaico, id qvà rigorem accipi non debet; nec aliter verba interpretanda sunt, qvam de duobus exemplaribus ectypis exactis ad unum exemplar primigenium, qvorum qvodlibet descriptum fuit characteribus, sibi vel maximè convenientibus: Interim vitari haud potuit, ne seculis posterioribus diversæ irreperent lectiones, qvarum nonnullas ipse Hieronymus, alii verò ante ipsum qvoqve qvasdam observarunt. Sanè omnibus hisce probè observatis non possunt non vel facillimè solvi qvæstiones, vel olim, vel nostro demum tempore, hoc de negotio motæ. Et comparata fere res est; ac si v. g. cupido incesseret Græcos, qvi nempe Papæ autoritatem agnoscunt, versionem latinam vulgatam Græcis exprimere characteribus; cujus usus si apud illos invalesceret, nullum dubium, quicqvam discriminis duo inter exemplaria ista in diuturna rerum serie amplius à nemine posthac observatum iri.

XI. Binis adhæc aliis gaudent interpretationibus pentateuchi Samaritani, qvarũ altera lingua Arabica, altera Syriaca, aut Chaldaica conscripta extat. Ultimam hanc communiter vocant versionem Samaritanam. Referre qvidem specialem lingvam videtur; sed revera Syriacæ aut Chaldaicæ lingvæ certa qvædam dialectus est. Versiones duæ istæ anteprælaudatæ literis Samaritanis expressæ, unà cum textu tribus exponuntur columnis, cujusmodi exemplar, sed paulò imperfectius, asservabat olim illustris Peirescius. In

Bi-

Bibliis item le Jay, & Polyglottis Anglicanis pentateuchus Hebræo-Samaritanus, cum versione Samaritana impressus exhibetur, cujus characteres efformati fuere ad exemplum illius, qvod in Bibliotheca P.P. Orat. Parisina, qvàm proximè ad Luparam Basilicam sita, repositum jacet. Interim ectypis illis nil de autoritate, dignitateqve ipsius exemplaris primigenii inest. In Bibliothecis privatorum studio collectis reperies nonnunquam multos hoc idiomate conscriptos libros; nemo tamen prælaudato Peirescio qva diligentiam in hoc genere æquari potest: nam præter tritapla modò memorata plura alia penes ipsum erant fragmenta operum specialium, lingvâ vel maximè à Syriaca propriè sic dicta abludente, qvam Samaritanam dicere nil vetat, conscripta. Neqve hoc tandem omittendum, exercitium grammaticum, si fides habenda Postello, etiam Samaritanos inter in usu esse, atqve vigere,

XII. Quandoqvidem Samaritani pentateuchum sine punctis & vocalibus exhibent, in dubiũ venit, num ipsorum legendi ratio concordet cum illa Judæorum, per Doctores Masoræ fixa hodiè & determinata. Res utiqve jucunda esset audire Samaritanum pentateuchum recensere: ita enim dubium tolleretur, & simul constaret, num conveniret illa Samaritanorum cum Judæorum lectione, in qva hactenus hæremus, alia destituti. Speramus interea fore, in hoc negotio à linguæ Hebrææ peritis doctisqve viris, iter suscipientibus orientem versus, nostro aliqvando desiderio satisfiat, justumqve inveniatur remedium. Magnum profectò commodum inde in totam redundaret Ecclesiam. Admonere quædam de Græca pentateuchi Samaritani interpretatione minimè hujus loci esse puto; cum,

quæ illius sit ratio, neminem, qvi vel minimam Patrũ Græcorum notitiam tenet, hujus cognitio fugere potest. Summa autem adhibenda industria, ne integer Samaritanorum cœtus, cum certa quadam confundatur sectâ, cujus primipilus Dosithæum se aut Dousin appellat, qvod nomen ultimum Arabes ipsi imponunt. Hic itaqve, uti qvidam refert Samaritanus, qvi gentis suæ historiam peculiari expressit libello, pluribus in locis textum pentateuchi immutavit, ideoq; & à Sacerdote magno reprehensus fuit. Habet tamen assecias, qvi utuntur textu ita depravato: quemadmodũ hoc ipsum fusius deduxit Abr. Echellensis, in notis ad librum Hebed Jesu. Photius aliàs in Bibliotheca sua mentionem facit Dosithæi cujusdam, aut Dosthenis, insignis S. literarum corruptoris, qvi religioni Samaritanæ, tempore Simonis Magi, addictus exstitit; & qvod magis adhuc, Antesignanus & caput fuit Sectæ cujusdam, qvæ nomine Dosthenianorum veniebat. * Vir quidam eruditissimus ævi nostri, imaginatus sibi est, qvasi pentateuchus Ebræo-Samaritanus Dosithæum habeat auctorem. At fallitur vir optimus, omniqve planè destituitur fundamento: iste namqve codex, qvi nostro Seculo typis exscriptus est, ab omnibus Synagogis Samaritanis receptus est. Cæterum novi, eruditos qvosdam, peritosqve historiæ orientalis sæpius mirari, tam asseveranter hucusqve dictum, tamqve firmiter creditum esse, Samaritanos hodie montem Garizim incolere, atqve ibidem in peragendis sacris suis occupatos esse; qvum altum tamen apud Petrum Della Valle, αὐτόπτην locorum, ubi Samaritani degunt, hâc de re fiet silentium. Imò verò, pergunt iidem, extrema illa, ad qvam redacti incolæ sunt, paupertas hostias immolare iis omninò semper prohi-

* Jac. Usserius Armacharius.

buit.

buit. Enimverò præterqvam, qvod opus sit accuratè inqvirere in ista, qvæ Petrus Vallensis de Samaritanis tradidit; & num interpretatio Gallica per omnia conveniat cum veritate editionis Italicæ; sic qvoqve constare itidem debet, utrum sufficienter edoctus fuerit vir optimus de locis hisce: inane utiqve est allegare & provocare ad rationes, cum contrarium facta testantur. Certum est, nec negari potest, Scaligeri tempore apud Samaritanos Neapolitanos viguisse sacerdotiũ: siqvidem per literas ab ipso efflagitarunt lineum selectissimum, ad conficiendum inde vestimenta Sacerdotis sui maximi. Sic in schedis illustris Peirescii huc facientia reperta sunt, qvæ nempe didicerat à qvibusdam iter huc dirigentibus, qvos rogarat, inviserent ipsi Samaritanos, librosqve ab iis Nostro compararent. Iidem Neapolitani haud ita pridem ad doctos qvosdam in Angliâ dedere literas, hac usi inscriptione: *Fratribus suis charissimis Samaritanis, in Anglia degentibus.* In ipsis literis asseverant, esse sibi qvendam nomine Sacerdotis S. conspicuum, qvem ex stirpe Pinchasi, & familia Sacerdotum tribus Levi prognatum esse prætendunt. Ita in ultimis suis anno 1676. scriptis significant, è statione sua per mortem evocatum esse, qvi hactenus fasces summi gesserat Sacerdotii: simul precibus compellant suos, suppetias sibi in anguſtiis ferant; donariis ornent montem Garizim; vestimentis prospiciant Sacerdoti S.; mittant deniqve ad majorum suorum tumulos oblationes & eleemosynas suas. Confirmat verò dicta huc usqve tandem & D. Morinus, Præceptoribus usus Samaritanis, sacrificia nempe ad hæc usqve tempora in monte Garizim offerri. Summum item Pontificem, qvi sedem Neapoli fixit, reliqvos sub dominio suo pastorali com-

complecti Samaritanos omnes, qvibus & Festum Paschatis cum reliquis solennioribus qvolibet anno per literas circulares indicare solet.

CAPUT II.

De Auguriis & veneficiis.

I.

GRave omnino Judæi peccatum esse censent; fidem tribuere ulli augurio; sive illud jam astris, ve terræ manuumque inspectioni ortum suum debeat; sive aliis magicis divinationibus.

* *In editione primâ prorsus non extat præsens caput.*

II. Crimen verò gravius adhuc, imò gravissimum esse credunt, si quis sese necromantiæ, magiæ, præstigiis, Theurgiæ, Angelorum item, aut dæmonum vel defunctorum evocationi addicat, ad exspectandum ab iis responsa. Paucis; scelus summum & grande nefas ducunt, omnia ista, quæ prohibita & damnata extant cap. 18. Deut.

III. Lege itidem cautum est, nequis sibi cutem incidat, & deinceps vel atramentum vel alios colores infundat. Conf. vers. 28. cap. 19. Lev. ubi ita summus Legislator: *inscriptionem stigmatis ne imponite vobis.*

IV. Cura & solertia magistrorum plures aliæ superstitiones abolitæ & extinctæ sunt, quarum usus olim apud Amorrhæos invaluerat: appellantur alias חקי האמורי (*consuetudines Ammorrhæorum.*

CAPUT

CAPUT III.

De Proselytis.

I.

* QUando quidam in Judæorum numerum cooptari desiderant, Doctorum tres vel alii viri auctoritate præstantes quæstionibus vexare, probeque examinare candidatum tenentur, ut innotescat, quid ipsum induxerit, atque commoverit, ejusmodi quid sibi proponere: Arcenda namque sunt ab hôc negociô sacrô & piô omnia & desideria & consilia, quæ carnem spirant & sanguinem; quod si exploraverint, humani quid subesse, missum ipsum faciunt, addendo insuper rigidissimam esse legem Mosaicam, ejusque sectatores hodie numerari abjectissimos inter & vilissimos homines penes omnes gentes: quare tandem hortantur hominem, permaneat in avita, in qua natus & educatus est, religione.

* *Non apparet in editione secunda caput præsens.*

II. Si tamen inhæreat firmiter sententiæ semel propositæ, admittitur sic tandem ad initiationis Sacramentum; inde sanatus totus aqua obruitur, præsentibus tribus examinatoribus ipsius. His peractis verus ab omnibus habetur & censetur Judæus.

CAPUT

CAPUT IV.

De fœminarum præceptis.

I.

QUicquid ratione præceptorum negativorum viris prohibitum est, idem quoque in mulieres quadrat. Verum, quod ad præcepta affirmativa attinet, decrevere nostri, minimè teneri fœminas ad præstandum illa, quæ certum requirunt terminum. Hæc ita ne frustra & dixisse & statuisse videri queant, provocant ad imbecillitatem sexus sequioris ejusque mollitiem, obsequium item, quo maritis suis obstricti sunt; nec non ad servitia iis ipsis præstanda.

II. Tria proinde solum extant præcepta mulieribus in specie injuncta; vi primi toto tempore fluxus sanguinis menstrui summâ industria sibi à consuetudine maritali cavere debent, neque ad maritos suos accedere, nisi prius aqua probe fuerint ablutæ. Alterum vult, ut, cum in subigendo & coquendo pane occupatæ sunt, placentam una conficiant, quæ sacerdoti antiquitus dono dabatur; hodie verò igne absumitur. Ultimum huc tendit, accendant nempe circa vesperam Sabbati proximè accedentem lampades; de quô ritu superius P. III. c. I.

III. Dantur interea mulieres, quæ viros religione & pietate erga DEUM utplurimum superant & multis parasangis post se relinquunt. Probant id, cum non tantum educationi liberorum suorum studiosissimè invigilent, sed & maritos suos à vitiorum semita revocare, & in virtutis viam inducere strenuè allaborent.

CAPUT

CAPUT V.

De Mancipiis.

I.

INgens olim apud majores nostros viguit mancipiorum differentia: Siquidem & ex Ebræis & ex Cananæi erant, qui in potestatem alterius se ipsos tradere, aut alio pacto venire solebant: Hodiè tamen nemo inter Judæos, nisi forte in aliquibus Orientis aut Barbariæ partibus, quenquam sibi comparat servum. Quos autem nanciscuntur servos, ipsorum utuntur ministerio, asservant item & vendunt eos pro locorum, ubi degunt, consuetudine. Quod si hujusmodi mancipia sacris Judaicis imbui gestiunt, circumciduntur, aquâ lustrali purgantur, atque ita liberi dimittuntur tandem.

CAPUT VI.

De confessione & pœnitentia.

I.

NUllum aliud apud illos confessionis genus obtinet quam illud, quo supplices à DEO peccatorum veniam deprecantur. Communi quadam & juxta ordinem syllabicum composita gaudent confessione, quam insigniunt nomine וידוי (id est *confessio.*) Quælibet litera summum aliquod gravissimumque præ se fert ac dicit delictum, quod sæpius nempe committit solet, sed qui eruditi & prudentes sunt, ordine ac sigillatim peccata commissa enumerant, nec reticent eorum & species & circumstantias.

II. In

II. In more quoque positum est, diebus Lunæ & Jovis peccatorum edere confessiones, omnibusque præterea inediæ diebus: sæpissime, at singulari ratione, idem sacerrimum negorium peragere suevere die jejunii expiatorii, quâ de re monui P. 3. cap. 6. Ulterius qui morbo sunt affecti, aut in quocunque alio periculo satis evidenti constituti, qualibet vespera, priusquã sese ad somnum componunt, & omni manè, dum nempe evigilant, iterum peccata agnoscunt ac deflent.

III. Tempus ad resipiscendum destinatum incipit primo mensis אלול, porrigens sese adusque diem expiationis: sæpius quoque inde à primo anni momento adusque expiationis festum. Illis, qui peccatorum onere gravatam sentiunt conscientiam, licet quovis tempore ad illud pœnitentiæ asylum confugere. Sin vero pœnitentiæ agendæ modum non rectè calleat, adeat necesse est quosdam ex Rabbinorum ordine; aut si ipse eruditus est, consulat magistros mutos, id est libros, ex quibus fontibus omnino hauriet eligetque optimam ac perutilem peccatis suis expiandis medicinam; sive illa jam consistat in abstinentia à cibo & potu; sive in severiori disciplina eccles. sive in erogatione eleemosynarum; sive denique in precibus vel bonis operibus.

CAPUT VII.

De morbis & morte.

I.

ÆGrotorum curam suscipere, iisque in necessitatibus & angustiis suis subvenire, officium

cium charitatis omnium præstantissimum esse judicant.

II. Cum quis de vitâ suâ sanitateque pristina recuperanda desperat, decem minimum advocat viros, quos inter magister quidam adsit necesse est, coram his, in genere tamen, errata patefacit, de qua confessione modo verba feci; mox precibus suis à DEO sanitatis restaurationem supplex contendit; vel animam suam, sin ita Domino visum fuerit, providæ ipsius curæ commendat, unaque precatur, dignetur Summum Numen morte expiari peccata unquam à se commissa. Si animi pendeat, aut secreti quid sub corde premat, magistro præsenti illud revelat. Hinc iterum & de novo peccatorum à DEO remissionem efflagitat; nec minus ab iis, quos unquam in se offensos esse arbitratur: Ipse itidem promptus paratusque est in remittendis offensis, inimicitiisque. Liberis & reliquis domesticis ad lectum accersitis benedictionem impertit; sic in agone constitutus, sin adhuc gaudeat parentibus vivis, ab iis benedictionem exspectat. Tandem bona sua, eorumque usum fructum, prout ipsi commodum visum fuerit, legare potest.

III. Ægrotorum quidam publicis Ecclesiæ precibus sese commendant. Sunt qui mutant nomina sua ad innuendum vitæ mutationem. Promittunt item & actu ipso conferunt tum in Synagogas, tum in pauperes copiosissima stipendia.

IV. Graviter qui decumbit, omni pene salute desperatâ, non solus relinquitur; sed diligenter die noctesque custoditur. Optime namque quis ope-

operam suam collocasse arbitratur, si ipsi animæ exhalationi adfuerit, imprimis viri sapientis & sancti: juxta illud Psaltis Ps. 49. v. 10. *ut non experiatur corruptionem: nam videt sapientes mori, &c.* ille, in cujus præsentia exspirat moribundus, aliquantum vestimenta sua scindere & lacerare solet; idque more antiquo.

V. Perplacet nonnullis, ut in ipso mortis articulo aqua omnis in ædibus defuncti & in tota vicinia inventa in plateas effundatur. Celebrant hunc ritum, velut pervetustum, quo ajunt denotari, mortalium quendam diem suum supremum in hoc obiisse tractu.

CAPUT VIII.

De Defuncto & Sepultura.

I.

DEmortui corpus linteo involutum in terram reponitur vultu operto, addita candela cerea minuta, eaque incensa ad latus capitis.

II. Mox confici curant defuncti gratia femoralia interiora linea; ad quod humanitatis officium præstandum mulieres vel ultro charitate compulsæ sese offerunt. Ad corpus abluendum emundandumque adhibent aquam calidam, floribus chamæmeli & rosis siccis temperatam. Postmodum subuculam lineam & femoralia interiora ei inducunt: hisce multi superaddunt præterea supparum ex telâ byssina; טליח item aut pallium defuncti quadratum, resticulis inde dependentibus ornatum, una cum pileo albo capiti imposito: Hâc pompâ peractâ cadaver tandem imponitur feretro jamjam parato,

rato, supposito mundo linteo & alio superimposito. Si vita functus in aliquo honoris gradu fuerit constitutus, in honorem ipsius alicubi feretrum acuminatum confici solet: sin autem magistri vel Doctoris partes impleverit, multos adhuc superinjiciunt libros. Ad ultimum nigro * feretrum obtegitur pannô & extra ædes collocatur.

* *Hæc cum multis aliis à nostro observata consuetudo in certis tantum locis usuvenit. Judæi quoque nonnullas regionis, ubi subsistunt, suas fecere.*

III. Tum vero totâ concione coactâ, quilibet feretrum humeris suis, ordine ipsum tangente, vel paululum saltem imponi gestit: optimum namque opus Judæi censent funeris deductionem ad dormitorium. Alicubi corpus terræ demandandum comitantur nonnulli manibus suis tenentes faces accensas, adjiciendo lamenta lugubria. Alibi autem nihil horum observatur. Propè ab ejulantibus sequuntur, sanguine juncti, quos imprimis luctus cepit.

IV. Hôc modô cadaver perducitur ad cœmiterium, quod communiter campus est huic actui destinatus, dictus alias בית החיים (*domus viventium*;) mortuos intelligunt, quos vivos reputant, ratione animarum nempe. Ex quo in humum reconditur, memoria defuncti, si unquam quid laude dignum gesserit, celebratur: tum preces subjiciunt, quas vocant צדוק הדין (*justificationem judicii,*) & habentur Deut. 32. v. 4. *Rupis illius est opus perfectum; omnes enim viæ illius sunt jus, &c.*

V. His finitis capiti subjicitur sacculus terrâ ege-

stâ refertus; mox feretrum clavis infixis occluditur, & ad fossam humo evacuatam, quæ proxime attingit locum, ubi majorum defuncti ossa sepulta jacent, transfertur. Nonnullis in locis feretrum, ex quo ferè jam sepulturæ locum attigit, decem homines septem vicibus circumeunt, precibus suis defuncti animam DEO commendantes; verum alibi consuetudo ista exspiravit. Hinc, qui demortuum proximè sanguine attingit, levem vestimenti sui facit scissuram: Dumque feretrum jamjam in terram immittitur, eaque obruitur, quilibet etiam comitum vel plenis manibus aut batillis humum congestam ingerit, usque dum fossa repleta est.

VI. * Viros æquè ac fœminas graviter peccare censent, qui cutem sibi incidunt, crinesque evellunt ob defunctum, sive adhuc præsentem, sive jam terræ demandatum: secundum illud Deut. 14. v. 1. *ne incidite vos, &c.*

* *Hujus paragraphi in prima editione nullum apparet vestigium.*

VII. Cum in eo sunt, ut discedant hinc, quilibet manu sua duabus vel tribus vicibus gramen evellit, illudque ultima vice post tergum abjiciendo in hæc erumpit, ex Ps. 72. v. 16. *Et florebunt cives, ut herba terræ.* Hisce spem atque fiduciam de resurrectione sua clarè edunt & testantur. Postea manus abluunt, humi sedent; mox iterum assurgunt, sedemque vel novies mutant, incinendo ex Ps. 91. *confidens in latibulo excelsi, &c.* Sic tandem abeunt, ædesque suas repetunt. Et hoc pacto communiter quidem Judæi in hoc negotio sese gerunt: quod si alicubi discrimen detur, illud omninò levissimum erit.

CAPUT

CAPUT IX.

De luctu, precibus & laude defunctorum.

I.

PRoximi defuncti consanguinei, sive jam sit pater, sive mater, sive liberi, sive maritus, sive fœmina, sive frater, aut soror, illicò domum reversi humi prostrati jacent: posteà calceos suos abjiciunt. Hoc facto apponuntur istis panis, vinum item cum ovis, calore nimio induratis; cibum igitur capiunt, bibuntque juxta illud Prov. 31. v. 6. *Date potum inebriantem perituro & vinum amaris animo, &c.* Ille, qui preces alias in mensa assvetas adhibet, una solatium quoddam immiscet. In oriente & alibi affines & reliqui amici per integros septem dies mane & vesperi consanguineos demortui cibariis donare solent, unde mensa epulis lautis ac magnificis instruitur, quæ convivia & hi ipsi frequentant in afflictorum solatium.

II. Elatò mortuò semel atque iterum culcitram laneam complicant, lecti item convolvunt stragulas, quæ relinquuntur in culcitra straminea: accenditur porrò lampas tergo instructa, quæ sine interruptione per septem integros dies ardet, lumenque de se spargit.

III. Proximi defuncti agnati per totam hebdomadem domo pedem haud efferunt; verùm inclusi remanent, omnibus diebus humi corporibus prostratis: pariter in hoc statu & corporis gestu cibum assumunt, nec in publicum, nisi Sabbatò, prodeunt: atque tunc amicorum catervâ circumdati precibus vacant. Hoc namque die afflicti & mœrore squalidi frequentius, quam aliàs, invisuntur, demulcenturque

ipsorum animi tristitia perculsi solatis variis adhibitis. Sic mœror quoque prohibet, negociis laboribusque septem hisce invigilare diebus, neque licitum fœdere matrimoniali sociatis, ἔυνοιαν conjugalem sibi invicem præstare: horis item matutinis & vespertino decem minimum convenire debent, qui una cum lugentibus domi huc usque latitantibus preces usitatas recitant. Stativis hisce adjiciunt quidam Ps. 49. *Audite hæc omnes populi, &c.* & sic demum animam defuncti curæ divinæ committunt, traduntque.

IV. Lugubri utuntur amictu, observatâ loci, ubi agunt, consuetudine; quippe minime quis in hoc negotio certæ astringitur legi.

V. Septem diebus ad finem perductis, egressi, hactenus qui in luctu constituti erant, Synagogam primò omnium petunt, ubi verò plerique & lampades accendi & preces fieri curant: quin & eleemosynas sese erogaturos esse in gratiam defuncti sanctissimè pollicentur; id quod & de novo, mense annoque elapsis, redintegrant & confirmant votum. Siquis in vivis adhuc Doctoris nomine aut alio honoris signo olim fuerit insignitus, laudes istius illo tempore oratione solenni prosequuntur.

VI. Filius parentibus orbatus indies mane & vesperi in Synagoga parentum gratia preces recitat, quæ dicuntur קדיש; in quo pietatis officio pergit & fermè totus est per undecim menses. Quidam quolibet anno, isto quidem die, quo unus vel alter parentum diem obiit supremum, indediâ sese macerare solent.

VII. Alicubi aditum sepulchri occludunt; ornant prætetea monumentum istud inscriptione quadam, in qua, præter defuncti nomen, encomia quoque ipsius, dies item, annus & mensis obitus continentur ac recensentur, oratione modo soluta, modo ligata.

CAPUT

CAPUT X.

De Paradiso, Inferno & Purgatorio.

I.

CUm paulo ante à me precum Judaicarum pro defunctorum animabus mentio facta est, nunc rei istius ratio addatur necesse est. Dari itaque Paradisum nostri credunt, quem vocant גן עדן (*hortum deliciarum*) ubi beati fruuntur gloria, solum in beatifica DEI visione consistente. Quod ad infernum, qui Judæis dicitur גהנם, * sentiunt, impiorum animas igni illic, aliisque suppliciis vehementissimè excruciari, quæ alii damnatorum sine spe redemptionis; alii vero ad certum tempus sustinere tenentur. Ad ultimum pœnarum genus optimè nomen purgatorii quadrat; neque enim hoc ab inferno ratione loci, sed tantum ratione durationis distinguitur.

* *Ita videlicet hanc vocem effert lingua Chaldaica, quam Hebræus reddit* גהנום, *& est vallis satis famosa in historia sacra filiorum* הנום. *Inde verò & vox Græca* γέεννα *ortum suum ducit.*

II. * Sic & pro certo habent, Judæos hæresi non infectos, nec discedentes à traditionibus majorum diutius uno anno in purgatorio haud detineri: & horum numerum non exiguum esse censent. Paucissimis namque contingere putant, neque nisi gravissimis peccatoribus, in perpetuum pœnas experiri & subire infernales.

* *Abest præsens paragraphus in editione altera.*

CAPUT XI.

De Μετεμψυχώσει; de Resurrectione item, nec non de extremo Iudicio.

*OPinionem singularem, (Pythagorica alias dicitur,) Judæorum nonnulli fovent, quæ tradit migrare animas ex uno corpore in aliud. Dicunt hoc ipsum גלגול, ** sustinentque hanc migrationem probare ex multis scripturæ locis, potissimum ex Ecclesiaste & Jobo depromtis: multi tamen eam suo haud approbant calculo. Sed quicquid demum sit, utraque sententia tolerari potest: neque quis alterutram amplectens, ideò statim ad classem Hæreticorum relegandus est.

* *In impressione secunda non leguntur sequentia.*

** i.e. *divagatio: quasi anima perpetuò stationem suam mutent, ex uno corpore proficiscendo in aliud.*

II. Exanimatos in fine mundi iterum suscitatum iri firmiter credunt; uti etiam inter tredecim articulos fidei suæ hunc ipsum de resurrectione numerare solent. Similiter certò persuasi sunt Judæi, DEUM universale in omnes homines, qua corpus & animam, judicium exerciturum esse, juxta illud Danielis Prophetæ cap 12. v. 2. *multi ex dormientibus in pulverulenta terra expergiscentur; hi ad vitam æternam; illi ad opprobria & contemptum æternum.*

CAPUT XII.

De tredecim articulis fidei.

*POstquam absolvimus ita recensionem historicam de ritibus ac moribus Judæorum hodiernorum, nihil amplius restare videtur; nisi ut hoc ultimo capi-

* *Integrum caput hocce subtractum est ab editione secundâ vice impressa.*

capite pauciſſimis ſubjungamus XIII articulos, quibus omnis ipſorum fides abſolvitur; quemadmodum docet recenſetq; ipſos Moyſes ** Ægyptius in explicatione משניות tract. סנהדרין cap. חלק.

** *Appellatur alias Maimonides, aut* רמבם, *id eſt R. Moyſes filius Maimonis, vir & ſapientiſſimus, & ab omni ſuperſtitione alienus.*

Nemine proinde contradicente creditur ab omnibus.

I. Exiſtere ſummum aliquod Numen, creatorem ac principium omnium; quod quidem ipſum in ſubſiſtendo à nulla hujus univerſi creatura juvari poteſt: omnia verò, ut eſſe ſuum continuent, ope & auxilio ipſius indigent.

II. Deum eſſe quidem in ſe unũ, nec ullam omnino admittere diviſionem; interea alius naturæ ac indolis eſſe ipſius unitatem, atque reliquarum rerum.

III. Deum omnis molis corporeæ eſſe expertem; ita ut non poſſit fingi ullum corpus ipſi ſimile.

IV. Exiſtere Deum ab omni æternitate, reliqua autem extra eſſentiam divinam collocata cum tempore cœpiſſe.

V. Neminem præter DEUM cultu adorationis afficiendum eſſe: nullum igitur alium pro mediatore & deprecatore agnoſcendum eſſe.

VI. Fuiſſe olim & fieri poſſe, ut adhuc hodie excitentur viri, vaticinandi donis inſtructi.

VII. Moyſen Principem & caput reliquorum Prophetarum recte ſalutari, donumque prophetiæ, quo Moyſen Dominus dignari voluit, fuiſſe ſingulare & multis modis præſtantius illo, quo reliqui excelluere Prophetæ.

VIII. Legem à Moyſe traditam, prout jacet, à Domino huic ſervo ſuo fuiſſe inſpiratam; neque toto ſuo ambitu includere vel minimum apicem, qui Moyſen

simpliciter Auctorẽ agnoscat: indeque explicationem illius à majoribus acceptam traditamque, qua omnes partes suas, ex ore Domine prodiisse, qui eam Moysi revelavit.

IX. Legem hanc omnis mutationis expertem esse; * adeoque non licere ei ullo modo addi aliquid aut detrahi.

* *In supplemento opusculo huic annexo in specie agetur de ista, quam prætendunt, atque de ea multum adversus Christianos gloriantur, legis nempe immutabilitate.*

X. Cognoscere DEUM & dirigere omnes mortalium actiones.

XI. Obtemperantes legi præmiis à DEO affici: contra violatores pœnis ab eodem visitari. Mercedem optimam in altera demum vita exspectandam esse; ubi etiam animarum condemnatio erit pœnarum omnium gravissima.

XII. Messiam certo certius adventurum esse, qui virtute, meritis ac laude rectè factorum longe antecellet omnibus ante se Regibus & Monarchis: qui quamvis adhuc differat adventum suum, morasque nectere videatur, minimè tamen desperandum esse de ipsius adventu. Interea non licere tempus certum adventus ipsius figere & determinare.

XIII. Mortuos à Domino resuscitatum iri, quemadmodum & capite præcedente observatum est. Ita habes L. B. videsque fundamenta doctrinæ & fidei Judaicæ, & una cum hisce finem historiæ credendorum agendorumque à Judæis observatorum.

Finis quintæ & ultimæ partis.

Ad-

ADMONITIO AD LECTOREM.

Feliciter ita, L B. Deiq; beneficio labore, ut vides, perfunctus sum, quem contuli in versionem Gallicã praesentis opusculi. Pertenuis licet sit, parvique ponderis ac momenti; nec tamen omni carere fructu pro certo habeo. Ampliora, quibus sunt praestantiora, afferant, non invidebo. Ego, cui tenue donum est, & cui ruſculum aratur exiguum, eum re minus possum loco illius voluntatem iri acceptum ab ingenuis, nullus dubito. Veniam praterea dabit Cl. interpretationis hujus Autor, cujus in ipsa libri inscriptione expresè mentionem feci. Si quid hac in parte à me peccatum, levior forsan erit culpa mea; quum alioqui hic excusatores, defensoresque mei, neque eos infimi subsellii viros facillimè reperire licebit. Et verò jam ante me ab aliis divulgatum, eundem esse, qui lateat sub nomine Sieur de Moni, ac edidisse annis superioribus Histoire Critique de la creance, & des coustumes des nations du levant: ita & ille ipse est, quem Celeberrimæ Eruditorum Lipsiensium Societas autorem facit libri, qui inscribitur la creance de l' Egliſe orientale ſur la transſubſtantiation avec une reponſe aux nouvelles objections de M. Smith. Omitto nunc, nec quicquam addo de charactere dictionis & ſingularibus, quas fovet, hypotheſibus; unde haud obſcure, ut ex ungve Leonem, virum cognoſcere datur. Quod ad interpretationem ipſam, accuratè quidem Autoris obſervavi veſtigia: temerè ab iisdem recedere, aut immutare aliquid minimè auſus ſum: neque tamen Ψ *κόδα, ut loquuntur, ſemper & verbum pro verbo reddere placuit; ſententiam potius ac mentem ipſius ſiſtere malui, ita edoctus à Cicerone libro de Finibus III.*

ubi

ubi, quid interpreti observandũ, pluribus ediſſerit. Pauca inde decerpam: Nec tamen, *inquit*, exprimi verbum è verbo neceſſe erit, ut interpretes indiſerti ſolent: cum ſit verbum, qvod idem declaret, magis minusve uſitatum. Eqvidem ſoleo etiam, quod uno Græci, ſi aliter non poſſum, idem pluribus exponere verbis: *Ita Cicero. Caterum egregiè lucem potuiſſe affundi ex aliis autoribus Leoni noſtro, non nego; v. gr. ex Menaſſe ben Iſrael, qui multis abhinc annis in gentis ſuæ gratiam de Iudæorum Hiſpanorum Ceremoniis edidit Tr. cujus fertur inſcriptio: Theſouro dos dinim in 4. partes diſtincto: & ex Addiſonio, cui placuit peculiarem de moribus Iudæorum in Barbaria degentium componere libellum, cui titulus: The præſent ſtate of the Ievves. At placuit in præſenti, cum ex quibus peti debebant non adfuere monumenta, in notis à Simone datis acquieſcere. Aliud, idque commodius ſibi præſens negotium poſtulat tempus. Interea & de hoc, ne quicquam quod excuſationem mereatur, præterire videar, admonendus eſt B. L., me & voculas, aut formulas in Sacris apud Iudæos uſitatas haud alio, quam ipſis peculiari, exprimere voluiſſe idiomate; & in dicteriis ſacri codicis Iunii verſione aliàs accuratâ memet uſum eſſe. Sic itaque L. B. oblectare jam ac fruere hiſce; qua tibi ſi perplacere intellexero, non deero poſthac Supplementum à Simone huic libello ſubjunctum addere, in quo non vulgaria, eaque protrita; verum egregia, dignaqve notatu occurrere pro comperto habeo. Vale, & bona quaſo verba precare Interpreti.*

IN-

INDEX CAPITUM

PARTIS PRIMÆ.

Cap. I. *De origine ceremoniarum & consuetudinum Iudaicarum, earumque divisione & differentia.* 23

II. *De Ædificiis.* 25

III. *De apparatu culinæ & mensæ.* 26

IV. *De Somno & Insomniis.* 27

V. *De Vestitu.* 29

VI. *De Modestia à Iudæis alvo urgente observata.* 32

VII. *De ratione ac modo lavandi manus atque faciem.* 33

VIII. *De Munditie.* 34

IX. *De Benedictionibus.* 35

X. *De Synagogis aut Scholis.* 37

XI. *De Precibus, Palliis, Frontalibus & Pentateucho.* 40

XII. *De Sacerdotibus atque Levitis: nec non de donis ipsis oblatis, item de Decimis.* 47

XIII. *De Agricultura & Bestiis.* 49

XIV. *De Charitate erga pauperes & animantia bruta.* 50

PARS II.

Cap. I. *De lingua Hebræa, & ejus pronunciatione & scriptura; nec non de homiliis Iudæorum.* 54

II. *De Studiis & Academiis illorum; nec non de origine & contentis Gemaræ vel Talmudis.* 57

III. *De Rabbinorum promotione & autoritate; nec non de Excommunicatione.* 60

IV. *De Iuramentis & Votis.* 62

V. *De Commerciis & Usuris.* 63

VI. *De Contractibus, iteris, testibus, Iudicibus & Iudiciis.* 65

VII. *De cibis in totum prohibitis, Iudæorumque comedendi ratione.* 67

VIII. *De Potu.* 71

IX. *De modo panem conficiendi.* 71

X. *De consuetudine in mensâ observandâ.* 72

PARS

PARS III.

Cap. I. De Sabbato. 74

II. De Novilunio; Nominibus mensium, istorumque intercalatione. 83

III. De Festo Paschali. 85

IV. De Festo hebdomadum, vel de Pentecoste. 90

V. De novi anni primordiis; it. de mense אלול 91

VI. De יום כפור aut de Die expiationis. 94

VII. De Festo tentorii, aut tabernaculorum. 97

IIX. De jejuniis lege traditis, & liberè susceptis. 101

IX. De Festo חנוכה, aut luminum. 105

X. De Festo פורים 106

PARS IV.

Cap. I. De Commercio fœminarum prohibito. 109

II. De Matrimonio. 110

III. De Sponsalibus & Nuptiis. 112

IV. De momentis quibusdam à fœmina matrimonium initura observandis; nec non de pœna virginem violantis. 115

V. De fœminabus fluxum sanguinis patientibus; it. de puerperis. 116

VI. De Zelotypia & divortio. 118

VII. De יבום & חליצה 120

IIX. De Circumcisione. 123

IX. De Primogenitorum redemptione. 128

X De juventutis educatione ac pubertate. 129

XI. De obedientia sanguine junctis, aliisq; debita 131

PARS V.

Cap. I. De Iudais haereticis, una cum Supplemento, in quo agitur de Secta Karaeorum & Samaritan. 133

II. De auguriis & venesiciis. 158

III. De Proselytis. 159

IV. De Pracept. fœmin. 160

V. De mancipiis. 161

VI. De Conf. & Pœnit. 161

VII. De morbis & morte. 162

VIII. De Demortuis & Sepultura. 164

IX. De luctu, precibus & laude defunctorum. 167

X. De Paradiso, inferno & purgatorio. 169

XI. De μετεμψυχωσει; de resurrectione; & de judicio extremo. 170

XII. De tredecim fidei articulis. 170

FINIS

Graviorum Erratorum Index.

PAg. 7. leg. filatim. ib. Bonnam it. Bonna. pag. 11. devotiores. pag. 14. l. dominari. p. 17. l. qvemvis. ib. gratia. it. literam. p. 26. l. oræ extremæ p. 32. l. salutantur. p. 33. l. affectu. ib. qvas. p. 39. l. conferre. p. 41. l. alij. ib. dicta. p. 45. l. causas. p. 48. l. reperiatur. ib. substituatur צ pro ע. p. 52. l. גמלות ib. peragrat. p. 57. literis. p. 60. l. annumeratos. p. 65. l. foenori. p. 75. l. est. p. 77. l. ante, p. 79. l. prorsus. p. 82. l. exhibebo. p. 83. l. Novilunio. p. 85. l. eoq. p. 90. l. literæ. p. 93. l. amicta. p. 95. l. vero. p. 99. l. illos. p. 100. l. publicè. p. 103. l. גדליהו. ib. ab pro ad. p. 104. l. enumerata. p. 108. l. פורים אדר p. 111. 11. substitue pro 111. ib. l. infra pro intra. p. 115. l. item pro idem. p. 116. l. eôdem pro eadem. p. 118. l. allegari. p. 121. l. uxoris. p. 127. l. Jehovæ. p. 128. substitue IX pro X. & p. 129. X pro XI. p. 131. l. מנץ ib. מנץ. p. 137. l. novitios. ib. Verporum pro verborum. p. 138. l. Serpentem. p. 139. l. glorioſus lætabundum. p. 140. l. aliiq. p. 142. l. qvorum. p. 144. l. ו׳׳ו׳. p. 145. l. qvod pro ut p. 146. l. in pro n p. 149. l. commorantur. p. 156. l. Armachanus. p. 158. l. ſive pro ve. p. 159. l. deſiderat. p. 160. l. antecedentem pro accedentem. p. 164. l. adfuerit. p. 167. l. aliàs. p. 168. l. veſpertinis. ib. inedia. p. 169. l. deliciarum. Lapſus leviores reliqvi in ſignis diſtingvendi vel aliàs commiſſi benevola Lectoris manu haud gravatim reſtituentur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766749029/phys_0187
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766749029/phys_0193
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766749029/phys_0194
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766749029/phys_0195
DFG

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn766749029/phys_0197


Universitäts Bibliothek
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn766749029/phys_0198
DFG



Universitäts Bibliothek
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn766749029/phys_0199
DFG

INDEX CAP

PARTIS PRIM

Cap. I. De origine ceremoniarum & consuetudinum Iudaicarum, earumque divisione & differentia. 23

II. De Ædificiis. 25

III. De apparatu culinæ & mensæ. 26

IV. De Somno & Insomniis. 27

V. De Vestitu. 29

VI. De Modestia à Iudaico alvo urgente observata. 32

VII. De ratione ac modo lavandi manus atque faciem. 33

VIII. De Munditie. 34

IX. De Benedictionibus. 35

X. De Synagogis aut Scholis. 37

XI. De Precibus, Phylacteris, Frontalibus & Pentateucho. 40

XII. De Sacerdotibus atque Levitis: nec non de donis ipsis oblatis, item de Decimis. 47

XIII. De Agricultura & Bestiis. 49

XIV. De Charitate erga mei



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766749029/phys_0200
DFG